JOHANNIS BUXTORFII
DISSERTATIONES
VARII ARGUMENTI.

ACCEDIT

G. S. Doctoris Angli

DIATRIBA DE JUDICIO PARTICULARI.

BASILEAE,

apud JOH. LUD. BRANDMÜLLER.

MDCCXXV.

VIRO
ADMODUM REVERENDO
ET CLARISSIMO
ANTONIO MAURICIO,
SACRÆ THEOLOGIÆ
IN INCLYTO GENEVENSIUM
ATHENÆO
PROFESSORI EXIMIO.

QUemadmodum iis, qui tempestatibus sæpè multumque jactati fuêre, nihil gratius accidere potest, quàm si denique in portu navigare queant: ita, postquam filius meus Massiliæ sæviente horrendùm pestifera lüe varia subivisset pericula, nihil optatius ei evenerat, quàm quod in urbem vestram veluti in tranquillum delatus sit portum. Præterea & hoc in magna felicitatis parte deputavit, quòd apud Te Vir admodum Reverende & Clarissime diversari, tuoque convictu uti potuerit, in eam quippe spem adductus, fore, ut aliquando in patriam instructior rediret iis artibus & scientiis, quarum studio se addixit, si domestica consuetudine & eruditissimis sermonibus ejus viri affatim frui posset, cujus excellentes animi

pec-

doctrinæque dotes, quotquot noverunt, magnoperè dilaudant, eoque magis, quòd illas supercilium minimè comitetur, sed inusitata potiùs morum facilitas & humanitas, quam cùm filius meus abundè expertus fuerit, atque manifesta adeò propensissimi tui in illum animi extent indicia, ut ausim dicere, eapropter ægerrimè illum ad relinquendam Genevam animum componere posse; mearum omninò partium esse duxi, quoddam grati animi mei pignus Tibi offerre, cùm, quicquid in liberos confertur, parentes jure in se collatum existiment. Quem in finem hunc libellum clarissimo Nomini tuo inscribere neutiquam dubitavi, impensè rogans, ut hoc in optimam partem accipere, tuaque benevolentia patrem filiumque ulterius prosequi digneris. Quod superest, eminentius illud & longè gravissimum munus, quod magno tuo merito non ita pridem Tibi commissum est, ex animo gratulor. Faxit Deus, ut, quod facere jam cœpisti, omnes illius partes egregié impleas, atque ad promovendam Nominis sui gloriam quam diutissimè inter mortales agas. Vale. Scribebam Basileæ d. 12 Februarii MDCCXXV.

Tui observantissimus

JOHANNES BUXTORFIUS.

DISSERTATIO PRIMA
De
REGINA SABÆ.

CErtum eſt atque indubitatum, Regis ſeu Principis à Regionibus & ſubditis ſuis abſentiam non exigua poſt ſe mala & incommoda trahere poſſe, id quod variis ex ſacra & profana hiſtoria exemplis demonſtrare haud difficile eſſet. Authoritas enim illa, quæ homines coram tuetur & commendat, ſi eos contingat abeſſe, minimo etiam adverſantium conatu ſubvertitur. Verùm ſive de hoc diſcrimine nihil olim in mentem venerit Reginæ Sabæ, ſive illud ſuſque deque habuerit, ad Salomonem iter fecit excita magnificentiæ & ſapientiæ ejus famâ, de quo ſcriptor ſacer libri primi Regum, cujus ductum ſequemur, ita: ומלכת שבא שומעת את שמע שלמה לשם יהוה ותבא לנסותו בחידות

Regina autem Sabæ audiens famam Salomonis in nomine Jehovæ, venit ut tentaret eum in ænigmatibus.

Nomen hujus Reginæ tacetur. Joſephus illam appellat Nicaulen, aliis dicitur Nicolaa, aliis Makeda, aliis Nitotris, quibuſdam Belkis. In tanta diſcrepantia vix certi quid definire liceat. Fuit Regina Sabæ ſive terræ Seba, ibiq;

imperaverat. Duplex autem fuit Saba, una Æthiopiæ, altera felicis Arabiæ regio. *Josephus lib VIII. Antiq. c. 3.* existimat Sebam Æthiopiæ intelligendam esse, cui olim fœminæ quoque imperaverint communi nomine dictæ Candaces, quemadmodum Reges Ægypti Pharaones. At verisimilius tamen censuerunt viri eruditissimi Sabam Arabiæ felicis potius hic innui ob rationem non unam. Primò enim Sospitator noster *Matth. XII.* hanc Reginam vocat, *Reginam Austri*, nunc autem Arabia felix est Australis terræ Israëlis, unde & Arabibus vocatur אלימן australis. Deinde Christus dicit venisse hanc Reginam ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς *è finibus terræ*, quod longè convenientius dicitur de Arabia felice quàm Æthiopia, quoniam ultra Sabam Æthiopiæ sunt regiones amplæ, Sabæi verò Arabiæ terrarum extima occupant ad Oceanum. Porrò auri & aromatum, quibus Regina camelos suos oneraverat, multò vilior est annona in Arabia quam in Æthiopum solo, quippe quæ propterea Græcis ἀρωματοφόρος dicitur. Accedit quòd שבא cum ש prout hîc occurrit, alibi quoque in Scriptura designat, Arabiam ad discrimen ꝗ סבא cum ס, quod communiter Æthiopiam notat. Unde *Psalm LXXII, v.* 10. ubi utrumque reperitur,

ritur, ſeptuaginta interpretes diſtinguunt, redduntque voces מלכי שבא וסבא Σα. σιλᾶς ἀράϐων ϰ̀ σαϐὰ. Religione gentilem fuiſſe hanc Reginam, liquet ex *Matth.XII.* ubi Chriſtus gentiles, qui Judæos condemnaturi ſint, allegat. Fuit hæc Regina שומעת את שמע שלמה *audivit famam Salomonis*, hoc eſt, fama ſapientiæ Salomonis eximiæ, fama templi magnificentiſſimi ab eo exſtructi, fama ſplendidiſſimæ domus regiæ, fama opum & immenſæ opulentiæ, fama numeroſi famulitii ad Reginæ hujus aures dimanavit. Sed hîc ſubobſcura ſunt verba continuò ſubdita לשם יהוה nec, quid ſibi velint, mox liquet. *Regina autem Sabæ audiens famam Salomonis* לשם יהוה quæ variè redduntur. Vulgata & Pagninus vertunt: *in nomine Domini.* Tremellius, & *nominis Jehovæ*, quaſi ל in לשם valeret, *&*, ſicut *Geneſ.XVI.* בין מים למים *inter aquas & aquas.* Alii reddunt, propter *nomen Jehovæ.* Quidam in hunc ſenſum capiunt hæc verba, quòd Salomonis ſapientia intenderit gloriam Domini, adeò ut ſit oppoſitio inter Salomonem & Magos arioloſq; quorum ſapientia non tendebat ad gloriam Domini. Alii putant ל eſſe pro מן, & innui ſapientiam Salomonis fuiſſe à Domino. Verſum primum abſolvunt hæc ver-

ba, ותבא לנסותו בחידות *Venit ut tentaret eum in ænigmatibus. Venit* longinquum & periculosum satis iter emensa. Venit ut tentaret Salomonem in ænigmatibus. Non malè colligitur fuisse non vulgaris sapientiæ mulierem, quinimò cùm audivisset famam sapientiæ Salomonis, desiderio flagrasse proficiendi, & sapientiam scientiamque suam augendi, venit enim, ut graves, difficiles nodos, quæstiones & ænigmata Salomoni proponeret, è quorum solutione doctior & sapientior evaderet. Venit ad Salomonem Jerosolymam anno (ut existimatur) regni sui vigesimo, & anno quadragesimo ætatis suæ. Venit ut tentaret eum ænigmatibus. Alio proin fine & scopo venit ad Salomonem ac Thalestris Amazonum regina (quam alii Minitheam vocant) quæ ad Alexandrum M. in Hircania res gerentem venit, ut liberos ex tanto Heroe susciperet. Venit enim hæc ad tentandum Salomonem ænigmatibus & quæstionibus arduis, quas dubio procul domi jam præmeditata fuerat. Versu secundo dicitur: ותבא אל שלמה ותדבר אליו את כל אשר היה עם לבבה *Venitq; ad ipsum Salomonem atq; locuta est ad eum quæcunq; habebat in animo suo.* Vetustissimis temporibus populis Orientalibus & post ipsos quoque Græ-

cis uſitatum valdè erat in conviviis præſertim ænigmata varia proponere, cùm ut ingenium acuerent, tum ut præſentes delectarent recrearentve. Hinc apud profanos Scriptores multa paſſim eſt legere de ænigmatibus, quæ in epulis propoſita fuêre. Quin & hoc reperire eſt, certa olim præmia illis promiſſa diſtributaque fuiſſe, qui ænigmata divinando aſſecuti fuerant. Tales enim manebant ſive generoſioris vini pocula, ſive fercula, ſive oſcula, ſive corollæ, ſive honorifici totius ſocietatis applauſus. In ſacris quoque occurrit exemplum Simſonis, qui hoſpitibus ad nuptias invitatis in ſolenni convivio ænigma hoc propoſuit: מהאוכל
יצא מאכל ומעז יצא מתוק *de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Jud XIV.* Dixitque iiſdem: *Si judicando judicaveritis illud mihi ſeptem diebus convivii & inveneritis, dabo vobis triginta linteamina & triginta veſtes mutatorias.* Sed revertamur ad Reginam. Qualia nam illa Salomoni Regi ænigmata propoſuit? equidem optandum eſſet, ut illa unà cum ſolutione Salomonis literis conſignata fuiſſent, dubio procul enim non erant ſtultæ quæſtiones aut ænigmata de anilibus nugis, quippe ad quas ſapiens potius tacet quàm reſpondet. Id verò fabulam re-

dolet,

dolet, quod ab aliquibus traditum eſt, Reginam ſcilicet ad explorandam Regis ſapientiam & ſagacitatem ei præſentaſſe pueros nonnullos & puellas ſimili plane veſtitu, petens ut ſibi indicaret, utrum unius ejusdemq; omnes ſexus eſſent? & ſi contrarium crederet, ut ſignificaret, quinam eſſent maſculini & quinam fœminei ſexus? tunc Salomonem continuò ſingulis mandaſſe ut facies abluerent, & poſtea rurſus abſtergerent, quod dum facerent, à Salomone obſervatum fuiſſe, partem abſterſiſſe facies leniſſimè duntaxat, partem verò firmiter & intrepide faciei cutim fricando, inde Salomonem feliciter collegiſſe, priori modo agentes fuiſſe puellas mollius quippe educatas, poſteriori verò modo ſe abſtergentes pueros fuiſſe. Quicquid ſit de ænigmatibus à Regina Salomoni propoſitis, & de quibus nemini amplius mortalium conſtat, hoc certum eſt, Salomonem iis enodandis, utut obſcura & ardua fuerint, ſapientia & ingenii acumine parem fuiſſe. Dicitur enim de eo verſu tertio: ויגד לה שלמה את כל דבריה לא היה דבר נעלם מן המלך אשר לא הגיד לה *Et indicavit ei Salomon omnia verba ejus, non fuit verbum ullum abſconditum à Rege, quod non indicaverit ei.* Quid clarius dici queat? omnia dexterrimè juxta & promtiſſimè

tissimè nullo meditandi spatio expetito solverat, nihilq; à Regina ei propositum fuerat, quod solvere nequiverit. Solverat difficillima non aliter quàm si facillima fuissent. Iterum ergo fabulam redolet, vocatum fuisse à Rege Salomone in conspectum præsentis Reginæ morionem, ut ad proposita ab ea ænigmata responderet, quod cùm ille faceret promtissimè, Reginam admirabundam collegisse, si tanta morionis, quanta ipsius Regis esset sapientia? præterquam enim quòd Scriptor Sacer solutionem ænigmatum disertè ipsimet Regi Salomoni tribuat, moriones ejusmodi aulici vetustis Hebræorum Regibus ignoti fuerunt. De quibusdam quidem veterum Romanorum Imperatoribus constat illis delectatos esse, minimè verò de Salomone & aliis Hebræorum Regibus. Ita Trebellius Pollio de Gallieno Cæsare in vita illius haud procul à fine scribit: *mensam secundam scurrarum & mimorum semper propè habuit.* Iisdem delectatum esse Aurelianum Imperatorem author est Flavius Vopiscus, additque ante omnes dilexisse Phagonem, qui tam portentosæ pariter voracitatis fuerit, ut (quòd difficile omninò creditu) die quodam ante mensam Cæsaris aprum integrum, vervecem & Porcellum, centumque

in

insuper panes voraret, & per infundibulum vini orcam evacuaret. Verbulum hac occasione addimus de morionibus aulicis hodiernorum temporum, tales scilicet non modo in Regum Principumq; sed ipsorum quoque Pontificum Romanorum aulis quandoque visos fuisse veluti in aula Pii II. teste Platina. Sed & de Hadriano IV. Pontifice JOVIUS in ejus vita memorat, solitum in mensa sæpissimè delectari TOCCINO sannione salsissimo, quem ex Hispania secum adduxerit, eodemq; simul pro rerum urbanarum speculatore usus fuerit. ERASMUS in Epistola quadam ad Martinum Dorpium scribit: *Veteres illos Principes non in alium usum morionum genus in aulas suas induxisse, quàm ut horum libertate leviora quædam vitia citra ullius offensam & aperirentur & emendarentur.* Idem in libro de *lingua*: *arbitror* (inquit) *à priscis in hoc adhibitam Musicam, ut sermones indignos convivio discuterent. In quem usum video nonnullos accersere moriones.* Verùm è diverticulo in viam. Audivit Regina in solutione ænigmatum & arduarum quæstionum egregia sapientiæ Salomonis specimina, ideoque dicitur versu 4: ותרא מלכת שבא את כל חכמת שלמה: *Et vidit Regina Sabæ omnem sapientiam Salomonis.* Sed nihil ne ulterius

rius vidit & demirata eſt? vidit utique הבירת אשר בנה *domum quam ædificavit*, hoc eſt, palatium regium, quod abſoluto & initiato templo ſtruxerat, quodque patris ſui Davidis regiam nimium quantum ſuperabat 1 Reg. 7. Totum hoc ædificium è marmore candido, cedro, auro & argento conſtabat, diſpoſitis per parietes & laquearia variis lapillis auro incluſis, quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat. An tres diſtinctæ domus regiæ fuerint, quarum prima domus Regis, altera domus ſaltus Libani, tertia domus Reginæ diceretur, vel potius an una continua domus à diverſis partibus & uſibus appellata, item, unde domus ſaltus Libani ita dicta & ubi ſita fuerit, non adeò liquet, cùm ſcriptura hic vix ſuggerat claram & diſtinctam horum ædificiorum ideam, nec tam accurata hîc ſit quàm in delineatione domûs Jehovæ ſeu templi. Vidit Regina (verſ. 5.) מאכל שלחנו *cibum menſæ ejus*, quod non tam de ipſis cibis accipiendum, quam de ſapienti ordinatione circa cibum regiæ menſæ domusque. Memorabile eſt, quod 1. *Reg.* 4. conſignatum reperimus, nempe quòd aula & familia regia Salomonis in dies ſingulos opus habuerit triginta bobus, decem ſcilicet ſaginatis & viginti bobus pa-

ſcuis, præterea centum ovibus, præter cervos, capreas, bubulos & gallinaceos saginatos, nec non triginta coris ſimilæ & ſexaginta coris farinæ, quorum ciborum, & alimentorum multitudo, juxta aliquorum calculum, potuit ſufficere cibandis quadraginta octo millibus hominum. Vidit Regina מושב עבריו ומעמד משרתיו *ſeſſionem ſervorum & ſtatum miniſtrorum ejus*, hoc eſt, diverſa illorum officia & functiones quas ſive ſtando ſive ſedendo obiverant. Vidit מלבשיהם pretioſa illorum *veſtimenta*, vidit משקיו *pincernas ejus*, hincq; etiam dubio procul pocula ex auro ſolido parata, reliquamque ſuppellectilem regiam ex auro ſplendidè fabrefactam, cum argentum tunc temporis vile haberetur. Vidit etiam עולתו אשר יעלה בית יהוה *holocauſtum Salomonis, quod offerebat in domo Jehovæ*, àdeo ut Reginæ acciderit, quod Salomon *Prov. XXII, v.* 22. effatus eſt: עיני האדם לא תשבענה *oculos hominũ* nõ *ſaturari*. Horum omniũ, ſapiẽtiæ cumprimis præcellẽtiſſimæ Salomonis incredibilis Reginam cepit admiratio, quã ſcriptor ſacer ſingularis emphaſεωs phraſi exprimit, v. 5. ולא היה בה עוד רוח *Et non erat in ea amplius ſpiritus*, quaſi diceret, præ admirationis vehementia corpus ejus aliquamdiu obſtupefactum & ſenſus expers fuiſſe, veluti corpus,

pus è quo anima exceſſit, vel ſaltem uti corpus hominis animi deliquium paſſi. Poſtquam verò ad ſe rediiſſet, in hunc modum fata eſt, אמת היה הדבר אשר שמעתי בארצי על דבריך ועל חכמתך ולא האמנתי לדברים עד אשר באתי ותראינה עיני והנה לא הוגד לי החצי הוספת חכמה וטוב אל השמועה אשר שמעתי *Verum erat verbum, quod audivi in terra mea ſuper rebus tuis & ſuper ſapientia tua. Et non credidi verbis ipſis, donec ipſa veni & viderúnt oculi mei. Ecce autem non fuit nuntiatum mihi dimidium, addidiſti ſapientiam & bonum ſuper famam.* Dicit ſe longè plura audiiſſe & vidiſſe, quàm ſibi nuntiatum fuerit. Aliâs fama omnia fere auget & in majus extollit, quippe quæ juxta vatem *vires acquirit eundo*, non diſſimilis fluvio, qui quo remotior eſt à ſcaturigine ſua, eo latius ſe diffundit. Verùm hîc contrarium evénit. Plura enim revera & ampliora, ut ingenuè confitetur, vidit Regina, quàm fama dictaverat, planè ut hîc locum non habuerit vulgatum illud: *Minuit præſentia famam.* Porrò Regina beatos prædicavit viros & Miniſtros Salomonis ſtantes coram eo & audientes ſapientiam ejus, v. 8. אשרי אנשיך אשרי עבדיך אלה העומדים לפניך תמיד השומעים את חכמתך *Beati viri tui, beati ſervi tui, qui ſtant coram te, ſemper audientes ſa-*

pientiam tuam. Quid? num beati prædicandi viri in aula versantes? annon aliâs quo quis aulæ propior, eo propior inferno censetur, annon ex vero dicitur: *Exeat ex aula, qui volet esse pius.* Annon aulæ vitiorum, luxuriæ & vanitatis veluti scholæ & officinæ? sic quidem plerumque res sese habet At aliter tamen statuendum de illis, quarum Domini & Principes pietatem, virtutem, sapientiam, justitiam amant, colunt, fovent, remunerantur, atque effreni licentiæ & vitiis serio obicem & repagula ponunt. Beatos prædicat Regina Sabæa aulicos Salomonis eo nonnisi nomine, quòd insignem Salomonis sapientiam semper audiant. Fuêre inter eruditos, qui existimârunt, Salomonem in mensa regia fabulas quoque Æsopi narrasse literis post consignatas ab Asapho, à quo eædem deinceps ad Græcos pervenerint, qui more suo hoc figmentum addiderint, fuisse inter suos quendam nomine Æsopum fabularum harum authorem. Addamus tandem aliquid de muneribus verè regiis, quæ Regina secum allata Salomoni obtulit. De his versu 10. ותתן למלך מאה ועשרים ככר זהב ובשמים הרבה מאד ואבן יקרה לא בא כבושם ההוא עוד לרוב אשר נתנה מלכת שבא למלך שלמה *Deditq; Regi centũ & viginti talenta auri*

auri & aromata multa valdè & gemmas pretioſas, non venerunt talia aromata in tanta multitudine quæ dedit Regina Seba Regi Salomoni. Quamvis accedebat ad Regem ſeſe potentiorem & opulentiorem, nihilominus vacuis manibus eum adire nolebat, ſed, quia ſperabat aſſequi inæſtimabiles ſapientiæ theſauros, æquum duxit ei theſauros offerre, gratum muneribus animum teſtificari, & torrentes ſuos hunc veluti Oceanum influere. Centum & viginti talenta faciunt juxta aliquorum ſupputationem circiter novies centena millia florenorum. Regina hæc munera Salomoni offerendo non peccavit, neque hic illa accipiendo. Regina illa offerebat in ſymbolum reverentiæ & amicitiæ. Illa munera ſunt illicita, quæ dantur ad corrumpendum alios & pervertendum jus, quæque conjuncta ſunt cum proximi injuria & damno. De his enim valent divina oracula: *Munus excæcat videntes & pervertit verba juſtorum.* Exod. 23. 8. & Deut. 16. 19. *Non inclinabis judicium, non agnoſces perſonam, nec capies munus.* Joſephus Antiq. l. 8. c. 6. ſcribit hanc Reginam balſami præſtantiſſimi radicem, quam Judæa fert, & quæ intra triduum vulnera ſanârit, Regi obtuliſſe. Verba illius ſunt: λέγουσι ὅτι τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ

 χώ-

χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχο-μεν, *ferunt autem quòd opobalsami radicem, quam adhuc hodie nostra fert regio, donante hac muliere habeamus.* Ipse tamen Josephus hoc non usque adeo pro certo habuisse videtur, eo quòd dicat λέγουσι *ferunt.* Noluit Salomon tanti pretii muneribus mactatus ingratus esse, quinimo postulavit ejus magnificentia ut & ille vicissim Reginæ munera offerret. Quamobrem vers. 13. dicitur: והמלך שלמה נתן למלכת שבא את כל חפצה אשר שאלה מלבד אשר נתן לה כיד המלך שלמה *Rex autem Salomon dedit Reginæ Seba omnem voluntatem suam quam petivit, præter ea quæ dedit ei manu regia Salomon.* Dicitur primo Salomonem Reginæ dedisse omne quod petierat. Inter ea quæ petiit, quidam conjiciunt fuisse codicem sacrum legis, nonnulla ad cultum divinum pertinentia, nec non alia Regis & sapientium monumenta. Dedit Salomon Reginæ quæ petierat, מלבד אשר ותן לה כיד המלך *præter ea quæ dedit ei manu regia,* hoc est, præter ea munera, quæ dedit Reginæ petenti, insuper alia dedit ei pro facultate Regis, hoc est, pro magnificentia sua seu munera digna magnificentia & opulentia Regis. 2. *Chronic. IX. v.* 12. dicitur: מלבד אשר הביאה אל המלך *præter quod adduxit ad Regem*

gem, hoc est, dedit ei quæcunque petiit, at nihil tamen dedit ex genere eorum, quæ ipsa ad Regem attulit, quippe quibus domi jam abundaret. Non itaque dedit ipsi aurum & aromata, sed alia magnifica dona, quæque in patria Reginæ forsan sua se raritate commendarent. Utrum ad verum Deum Israëlis conversa fuerit Regina, incertum est, nimisque debilia ad hoc adstruendum sunt, quæ nonnulli afferunt, argumenta, veluti quòd juxta *Matth. XII*, condemnatura dicatur nationem Judaicam, quòd 1. *Reg X, v.* 5. dicatur admirata summoperè holocausta à Salomone oblata, quod denique v 9. benedixerit vero Deo. Nihil enim horum hanc conversionem evincit. Exemplum illius, Salomonis sapientiam cupide audientis condemnat utique Judæos digniorem & majorem Salomone Christum audire nolentes, sed quid inde pro ejus ad verum Deum conversione? Exemplum gentilium saniorum condemnat non paucos Christianorum, neque tamen inde colligitur eorum ad verum Deum conversio. Neque nuda admiratio cultus peregrini nunquam visi hanc conversionem infert, neque denique id, quòd benedixerit vero DEO. Quæ enim consummatissimæ doctrinæ Vir & singulare Academiæ no-

stræ

nostræ ornamentũ Celeberrimus FREYIUS, ad quæstionem de conversione Cyri obser. vavit in eruditissima dissertatione de Cyro, ea non male huc aptabimus. Nempe aliquam veri Dei cognitionem hausisse longe abest à sincera conversione ad Judaismum, & quid si regina ad morem judaicum verba accommodavit? Vel quid, si ipse scriptor sacer vera Dei cognitione imbutus Reginam hoc modo, id est, Judaicè loquentem introducat? Sed fac verba, prout jacent, de Regina intelligenda esse, plura longe dixit Nebucadnezar, *Dan. II.* quinimo Alexander M. teste Josepho, Deo Judæorum victimas obtulit, quis tamen inde inferat, illos abdicato gentilismo in veram Religionem concessisse?

DIS.

DISSERTATIO SECUNDA

De

BILEAMI PROFECTIONE

& quibusdam effatis.

HISTORIA de Bileamo proficiscente, ejus asina loquente, Angeloque gladio evaginato in via consistente valde memorabilis est, & proin consideratione dignissima, prout consignata est à Mose Numeror. cap. XXII. Vocatus à Balaco Moabitarum Rege per legatos Bileam iter aggressus est ope asinæ, quod docet versus 22. והוא רוכב על אתנו *Et ipse equitabat super asinam suam.* Jumentum illud, quo usus est Bileamus, vocatur אתון asina. Quemadmodum Hebræi duo potissimum vocabula habent, quibus equos equasque denotant, scilicet סוס & רמך, quorum illud generale est & utriusque sexûs, hoc verò fœminino sexui tantum tribuitur: ita quoque duo usitatiora habent vocabula, asinos significantia, quorum unum

num generale eſt, alterum magis ſpeciale de fœminis uſurpari ſolitum. Generale eſt חמור ſecundùm Rabbi Bechai ſic dictum à חומר à modiis & acervis frumenti portandis, ſecundum alios à R. חמר turbari, eo quòd aſinus ſit quaſi turbati & ſtupidi cerebri. Quòd hoc חמור generale ſit, ſive utrique ſexui competat, ſtatuit quoque Ben Melech in Michlol Jophi ſcribens: החמור כולל הזכר והנקבה vox המור *generalis eſt tam maris, quàm fœminæ.* Unde notatu dignum eſt, quòd verſio Syriaca hæc verba הוא רוכב על אתונו *ipſe equitabat ſuper aſinam ſuam*, vertat: והו רכיב על חמרה non אתנה. Moleshîc uſurpat τὸ אתון, quod nomen, uti dictum, nonniſi fœminam ſignificat, & juxta nonnullos deducendum eſt ab אתה venit, juxta alios verò ab Arabico אתן contracto brevique greſſu inceſſit. Super aſinam equitavit Bileamus. Multiplicem aſinorum aſinarumque uſum Scriptura S. memorat, primum, qui hodieque frequens eſt, ad ferenda quævis onera, ex. gr. frumentum, cibos, panes. Ita fratres Joſephi annonam ex Ægypto avecturi illam aſinis impoſuerant. Geneſ. XLI. Sic 1. Samuel. XVI. verſ. 20. חמור לחם *aſinus panis* Kimchio interprete eſt חמור טעון להם *aſinus pane onuſtus.*

1. Sam.

1. Sam. XXV. v. 18 legere est, quòd *Abigael acceperit ducentos panes & duos utres vini, quinque pecudes & quinque sata aristæ tostæ, & centum uvas passas & ducentas palathas ficuum, quæ omnia asinis imposuit.* Secundum usum asinorum scriptura memorat ad currus trahendos. Esaj. XXI. v. 7. Tertium ad arandum, quod colligere est ex Deuter. XXII. vers. 10. לא תחרש בשור ובחמור יחדו *Ne arato bove & asina simul.* De asinarum ad arandum usu profani quoque authores agunt, veluti Varro de Re rustica & Columella. Quartus asinorum usus fuit ad molas circumagendas, quæ inde ad differentiam trusatilium vocantur molæ *asinariæ* quarum mentio facta est, Matt. XVIII. quisquis autem offendiculo fuerit uni ex parvis istis, qui in me credunt, præstiterit ei, ut suspendatur *mola asinaria* in collo ejus ac demergatur in profundo maris. Quintus asinorum usus fuit ad equitandum, quamobrem & Bileamus asina sua usus fuerat ad equitandum. Utebantur quidem Orientales ad vecturam quoque equis, utebantur camelis, ut in Syria & Arabia, quin & elephantis ut in Babylonia & alibi, sed & frequenter asinis, quem asinarum usum etiam Lampridius in vita Heliogabali de matronis Romanis refert. Et asinis quidem tum tem-

poris in Oriente vehi solebant non tam plebeij & infimæ sortis quàm præcipuæ dignationis homines & nobilissimi quique. Ita Abrahamus postquam mandatum Dei accepisset de filio in holocaustum immolando instravit asinum suum, eoque vehi maluit, quam quocunque alio jumento, quorum variis generibus instructissimus erat. Ita Abigael equitabat super asino, nec non Moses, Achsa Calebi Principis tribus Judæ filia, Prophetæ duo unus è Bethele alter è Juda, Mephiboseth *Regis* Saulis nepos, & Achitophel regius Senator. Debora in Cantico suo cecinit: רכבי אתונות צחרות *ô qui asinas albas equitatis & judiciis præsidetis*. Judic. V. Quin & Christus ipse Rex Regum asino vectore usus est juxta veteris Testamenti vaticinia. Bileam itaq; viam ingressurus יחבש את אתונו *stravit asinã suam*, quam ipsam Bileami asinam Rabbini matrem constituunt illius asini quò usus Abrahamus in itinere filii immolandi causa suscepto. Utrum Bileam ipsemet straverit asinam an alius, de eo non multum laborabimus. Hoc certissimum est, actiones tribui persæpè iis, qui mandarunt duntaxat non peregerunt illas. Postquam strata erat asina, super ea equitabat Bileam pro illius seculi Regionumq; consuetudine, quæ honorifica

rifica ſatis habebatur, contrà quam apud Cumanos, quibus Aſini ſeſſor pro adultero pœnam ſui facinoris luente habitus eſt, cui pœnæ non multum abſimilem in multis Europæ locis obtinere Aldrovandus de Quadrupedibus ſcribit, unde forſan militaris pœnæ genus manavit, quando damnantur ad aſinum ligneum in foro vel alibi milites, qui indignum quid admisêre. Solus non faciebat iter Bileamus, ſed comites nonnullos adſcivit. Hoc indicat verſus 21. ושני נעריו עמו *Et duo pueri ejus cum illo.* Ubi obiter notamus, verſionem vulgatam malè ſine nota numeri in Hebræo diſertè memorata reddere: *Et pueros habebat ſecum.* Accuratius Targum ותרין עלמוהי עמיה *Et duo pueri ejus cum eo.* Vox נער varie accipitur ratione ætatis. Aliquando embrionem notat, qui in utero materno movetur ad exitum, indeque excutitur, ut Judic. XII. de Simſone. Moſi infanti trimeſtri tribuitur: Exod. II. 6. Samueli recens ablactato 1. Sam. I. 24. Joſepho ſeptendecim annos nato Geneſ. XXXVII. Sichemo Dinam vitianti Geneſ. XXXIV. Quandoquidem verò junior ætas conſueto laborat ignorantiæ morbo, ideoque hæc ipſa vox transfertur ad imperitos & quandoque notat puerum non annis, ſed ſcientia & intelli-

telligentia, quò spectant pueri centum annorum Esaj. LXV. 20. & verba parœmiastis, Prov. I. 4. לתת לנער דעת *ad dandum puero scientiam,* quamvis posteriore loco posse quoque simul puerum annis intelligi, minime diffiteamur. Aliquando נער significat ætatem juvenilem pariter & officium, accipiturque pro juvene ministrante sive famulo quo sensu & hîc loci capiendam esse vocem נער talesque innui qui servilem ei operam navare tenebantur, valde verisimile est. Unde Castalio vertit: *duobus famulis comitantibus.* Quinam verò hi famuli fuerint, non memoratur. Targum non quidem Onkelosi, sed Jonathanis contra fidem boni interpretis in versione addit pueros hos fuisse Jannem & Jambrem Ægyptiorum Magos, quod valde improbabile. Bileamo equitanti obstitit Angelus Jehovæ in via, de quo Moses ita: ויתיצב מלאך יהוה בדרך לשטן לו *Et stetit Angelus Jehovæ in via, ut esset adversarius ei.* Frequenter in sacris Angeli boni appellantur *Angeli Jehovæ*, atque hac nomenclatione opponuntur angelis malis, Angelo Satanæ, Angelis Draconis. Neque inferri queat, hanc nomenclationem malis etiam quandoque competere, eo quòd Angelus Jehovæ quibusdam in locis (veluti 2. Sam. 24.)

lega-

legatur impios supplicio affecisse, cùm bonorum etiam quandoque Angelorum hæc functio fuerit, cujus rei rationes & exempla satis manifesta adduxi in volumine Catalectorum meorum Philologico-theologicorum Sectione CCXXII. Judæi hîc loci in specie per Angelum Domini intelligunt Gabrielem, sed ob rationem magis ridiculam quàm seriam, nempe quia, ut Baal Hatturim scribit, verba מלאך יהוה בדרך *Angelus Domini in via,* per Gematriam idem valent quod גבריאל המלאך Gabriel Angelus. Per Angelum Jehovæ hîc dubio procul intelligendus est Angelus increatus ipse Dei Filius, quod utrum rectè fiat an secus, non aliunde melius dijudicari poterit, quàm ex iis, quæ huic Angelo Jehovæ attribuuntur, cùm juxta Logicorum Canonem, talia sint subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis. Sic in Historia Hagaris fugientis Genes. XVI. hujus Angeli Jehovæ itidem facta mentio, perque eum ibidem rectissime intelligitur Angelus increatus, cum talia ipsi attribuantur, quæ præter ipsum nulli Angelo competunt Hagar enim disertè eum vocat Jehovam vers. 13. Præterea nullus Angelus creatus dicere potuisset: הרבה ארבה את זרעך זרעך ולא יספר מרב *multiplicando multipli-*

cabo

cabo ſemen tuum, neque numerari poterit præ multitudine. Vocatus autem eſt in Veteri Teſtamento Filius Dei Angelus, non quòd tunc Angelorum, poſtea verò hominum naturam aſſumſerit, ut quidam Origenem ſenſiſſe volunt, cùm ſcribit Homil. 8. in Geneſ. *unde puto quòd ſicut inter homines habitu repertus eſt ut homo, ita inter Angelos repertus eſt ut Angelus*, ſed quia officio Angeli ſeu Legati fungebatur. Similiter in hiſtoria tentationis Abrahami per Angelum Jehovæ iterum increatus ille propter attributa venit intelligendus. Dicit enim ad Abrahamum verſ. 12. *Non pepercisti filio tuo unico propter me.* Atqui non propter Angelum creatum, ſed propter Deum filio non pepercerat. Adde quòd v. 16. per ſeipſum juravit, & Abrahamo benedictionem ſeminisq; multiplicationem promiſerit, quæ angelo creato non competunt. Neque dicendum eſt, Angelum fuiſſe creatum, qui verba aliena, nempe Dei, duntaxat retulerit, & proprie non de ſe locutus fuerit, hoc enim præcedentia ſatis refellunt, ubi Angelus ſane non aliena recitavit verba, ſed de ſe locutus eſt. Quod nunc porro ad locum præſentem attinet, exiſtimamus non minùs rectè ob ea, quæ Angelo Jehovæ tribuuntur, eum pro Filio Dei haberi. Sufficiat inpræ-

ſens

ens nobis hoc unum adduxiſſe, quòd v. 28. diſertè Jehova appelletur. Neque arbitramur enervari hanc probationem dicendo, hoc nomen Jehovæ non ad angelum Jehovæ referendum eſſe, cùm verſu 31. Jehova ab angelo Dei diſtinguatur & *revelavit Jehova oculos Bileamo ut videret Angelum Dei adſtantem ſtricto gladio*, non enim diſtinguitur Jehova ab angelo Jehovæ, ſed Moſes uni eidemque Filio Dei duo dedit nomina ex æquo ipſi convenientia, ut eo melius, quis ille eſſet, cognoſceretur, neque in cenſum angelorum creatorum referretur. Sed nunc videamus, quid Moſes edicat de hoc Jehovæ Angelo? *Et ſtetit Angelus Jehovæ in via, ut eſſet adverſarius ei.* Angelus ſtetit in via, & quidem בחרב שלופה *ſtricto gladio.* Cùm poſt lapſum olim Deus hominem expuliſſet ex horto Edenis, à parte ejus anteriore conſtituerat Cherubinos cum gladio, qui arcerent eum ab *ingreſſu* in Paradiſum: hîc vero angelus Jehovæ proficiſcentem Bileamum ſtricto enſe arcebat à *progreſſu*, eique adverſabatur לשטן לו, in quæ verba Raſchi ita commentatus eſt: היה רוצה למנעו מלחטא שלא יחטא ויאבד *Voluit illum* (Angelus) *à peccato deterrere, ne peccaret & periret.* Quin Angelus cum gladio ſtricto ſignum erat iræ

& vindictæ divinæ, quemadmodum ſignum iræ Numinis erat, cùm David ob peccatum numerati populi ſublatis oculis conſpexiſſet Angelum Jehovæ ſtantem inter terram & cœlum cum gladio ſtricto in manu ſua 1. Chronic. 22. 16. Aſina Bileami ſtatim vidit *Angelum Jehovæ ſtantem in via v.23.* proindeque oportet viſibili forma ad tempus aſſumta eum apparuiſſe. Ipſe tamen Bileamus aliquamdiu non vidit angelum, id quod haud obſcurè fatetur, v.34. dicendo ad angelum: *neſciebam te conſiſtere obviam mihi in hac via.* Nolimus tamen ideo cum quibuſdam Hebræorum ſomniare eum fuiſſe prorſus סומה coecum, ſed dicimus oppoſitum fuiſſe oculis ejus velamen quoddam, ſive facultatem videndi aliquandiu inhibitam fuiſſe. At poſtea tamen aperti fuerunt ejus oculi, uti v. 31. dicitur: ויגל יהוה את עיני בלעם וירא מלאך יהוה נצב בדרך *Et detexit Jehova oculos Bileami qui vidit Angelum Jehovæ conſiſtentem in via.* Additur: ויקד וישתחו לאפיו *& inclinavit ſe & incurvavit ſe ſuper faciem ſuam.* Adhibentur hîc conjunctim verba, קדד & השתחוה quorum illud ſecundùm Hebræos notat כפיפת קדקד *incurvationem* verſus terram honoris exhibendi cauſa, hoc verò totius corporis proſtrationem in terram ex

more

more Orientalium, quod quidem non perpetuum esse forsan probatu ex singulorum locorum collatione non difficile foret. Quicquid sit, hoc certum est, neutrum horum verborum *per se* inferre adorationem religiosam, sed utrumque pro locorum diversitate modo de adoratione religiosa soli Deo debita, modo de civili usurpari. De civili ex. gr. agunt hæc loca משתחוים להמן *adorabant Hamanem.* Esth. 3. v. 2. ותקד בתשבע אפים ארץ ותשתחו למלך *Et demisit Bathseba faciem terram versus & incurvavit se Regi.* 1. Reg. 1. v. 31. Jam porro quærenti, utrum Bileami hæc Angelo Jehovæ exhibita adoratio fuerit religiosa vel civilis necne, paucis respondemus, supposito per *A*ngelum Jehovæ hîc Filium Dei intelligendum esse, evidenter quidem liquet, adorationem religiosam ei debitam fuisse, sed talem à Bileamo exhibitam fuisse ut credamus, vix permittunt ejus profana indoles, insignita improbitas, defectus sinceri amoris Dei, metus potius servilis quam reverentia Dei, cum studio sanctitatis conjuncta. *A*sina conspexerat non solum *A*ngelum Jehovæ sed & *gladium ejus eductum in manu ejus*, ideoque spectaculo hoc conterrita *declinavit ab illa via, ut iret in agrum* seu campum. ותט האתון מן הדרך ותלך בשדה Ut illam

iterum in viam redigeret Bileamus, percussit eam במקל baculo v. 27. dicens, eam sibi ilusisse, vel uti Hebræa sonant, התעללת בי quam locutionem Ben Melek ita exponit: עשית בי מעשה תעתעים ובזיון וצחקת בי *fecisti in me opus errorum & ignominiæ & irrisisti me.* Tribus autem vicibus Bileamus asinam percussit, quod diserte commemoratur versu 28. שלש רגלים Primùm quidem cùm declinaret à via in agrum, deinde cùm pedem Bileami ad maceriem comprimeret, & denique cùm Bileamo prorsus succumberet. Mysterium, quod Hebræorum aliqui ex verbis שלש רגלים *tribus vicibus* exsculpunt, meritò exsibilandum est, scilicet quia רגלים non modo significat vices sed & *festa solennia*, evenisse ut asina שלש רגלים tribus vicibus percuteretur, quoniam profectus fuerit Bileam animo gentem illam exscindendi, cujus erant שלש רגלי tria festa solennia. Sed jam tandem loquendum nobis quoque est de admiranda asinæ loquela, quam quidem nasuti homines exagitant & subsannant, ac si fabula incredibilis esset. Verùm quid clarius verbis est Mosis? ויפתח יי את פי האתון ותאמר לבלעם *Et aperuit Dominus os asinæ & dixit ad Bileamum, quid feci tibi, quòd me jam ter percusseris?* v. 28.

v.28. quæ Petrus egregie confirmat, 2 ep. 2.16. Sed redargutionē suæ transgressionis habuit (sc. Bileā) ὑποζύγιον ἄφωνον *subjugis asina muta humana voce locuta inhibuit prophetæ dementiam.* Facultate loquendi nullum animal præter hominem pollet, unde Hebræorum Magistri hominem, quem λογικὸν ζῶον vocamus, חי מדבר animal loquens nuncupare solent. Bruta voces articulatas nec edunt, nec ab aliis prolatas intelligunt. Inepte nonnulli senserunt ante lapsum *A*dami reliqua animantia sermonis quoque & rationis usum habuisse. Insulsè etiam Porphyrius animantibus sermonem tribuit, addens; Apollonium Thyanæum, Melampum, Tiresiam & Thaletem brutorum loquelam intellexisse. Sextus Empiricus libro primo Pyrrhoniarum hypotyposeon cùm retulisset, ut canes varient vocem pro affectu, atque idem in aliis contingat animantibus uti in gallinis & similibus, male hinc collegit, καὶ τοῦ προφορικοῦ μετέχειν λόγου τὰ καλούμενα ἄλογα ζῶα *animalia, quæ rationis expertia dicuntur, non orationis expertia esse.* Haud paulo cautius hac de re Lactantius disserit de ira Dei, cap. 7. *Proprius* (inquit) *homini sermo est, tamen & in brutis quædam similitudo sermonis. Nam & dignoscunt invicem se vocibus, &, cùm irascuntur,*

edunt ſonum jurgio ſimilem, & cùm ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ, ſed ipſis, quæ ſe intelligunt, verba ſunt. Denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant. Sed tantum tamen abeſt, ut illis idcirco λόγος προφορικὸς ſive ſermo tribui debeat, ut ne quidem id aſſerere poſſimus de pſittacis, corvis, ſturnis, picis, cujuſmodi alites multo quidem hominum labore humanum ſermonem imitari, & voces aliquot reddere edocentur, ſed minimè articulatas. Neq; aliter ſentiendum, quando de animantibus ſimile quid legimus in Annalibus Romanis. *Canem locutum* (inq. Plin. l. 8. c 41. & 45.) *in prodigiis accepimus.* Et poſtea: *Eſt frequens in prodigiis priſcorum bovem locutum, quo nuntiato ſenatum ſub Dio haberi ſolitum.* Huc ſpectat quoque exemplum cornicis illius dubio procul humana arte aſſuefactæ, de qua Suetonius in Domitiano. *Ante paucos, quam occideretur, menſes cornix in Capitolio elocuta eſt:* ἔςαι πάνλα καλῶς. Nonnulla quoque hujus generis potuerunt profecta eſſe à fraude Dæmoniaca, quò forte referri queat, quod Plinius narrat, l. X. c. 21. *inveniri in Annalibus, in Ariminenſi agro, M. Lepido,*

Q. Catulo COSS. in villa Gallerij locutum fuisse gallinaceum. Denique quod attinet ad ea, quæ de ejusmodi animantium loquelis à Poëtis gentilium memorantur, dubium non est, quin hæc sint fabulosa & commentitia aut etiam per prosopopoejas explicanda, ut quando LUCANUS l. 1. ait:

Et pecudum faciles humana ad murmura linguas,

Et Claudianus 1. in Eutrop. *Et attonito pecudes pastore locutas*, quando Homerus iliad. 19. scribit, Achillis equum, nomine Xanthum cum hero esse collocutum, eique mortem prædixisse. A Poëtis hæc confícta, aut per prosopopoeiam explicanda esse, inde liquet, quòd iidem non animalibus duntaxat sermonem attribuant, sed etiam plantis rebusque inanimis. Ita Claudianus in Panegyrico Minervam ait:

Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.

Ejusdem commatis sunt, quæ de Argo navi fatidica ab iis tradita sunt. Atque ex his abunde liquet loquelam esse hominis propriam, neque brutis competere, atque inter ea omnium minime asino, qui nil nisi rudere scit, quique organis illis, quorum ope sermo formatur, quam maximè destitutus est, quod verum esse deprehendet, quisquis ejus lin-

linguam rictum & labra intuebitur prorsus ab humanis diversa. Quomodo igitur asina Bileami hîc locuta est voce humana? Dominus os ejus aperuit, nec res aliter concipi potest, quàm quòd Angelus Jehovæ potentia & virtute sua formaverit voces in ore asinæ non tamen absque ejus organis. Alioqui enim haud magis locuta dici posset asina, quàm domus, in qua loqueretur Angelus. Omnino igitur ex asinæ lingua sermo processit, sed Angelo eam movente, dirigente & ad verba aptante. Etsi vero hic sermo asinæ humanus & articulatus fuerit, quantum ad sonum attinet, tenendum nihilominus duplex discrimen inter illum & sermonem hominum consuetum. Primo consuetus hominum sermo est imago mentis, τὸν λόγον προφορικὸν præcedit ὁ ἐνδιάθετος sermo internus sive cogitationes & conceptus mentis. Nec male Democritus & Epicurus ajebant, sermonem esse rationis flumen, quia ut à fonte flumen, sic à rationis conceptu oratio promanat. Hujusmodi prævius in asina conceptus non fuit, rationis quippe experte, unde etiam alterum fluit, quòd scilicet asina, quæ fuit veluti *nervis alienis mobile lignum*, quid & quomodo locuta fuerit, prorsus ignoraverit. Cæterum cùm Bileamus ex

Syria

Syria oriundus fuerit, non improbabile est asinam Bileami Syre locutam fuisse. Postquam de asinæ loquela egi ejusq; modo, referam Judæorum absurdissimam de ea sententiam, scilicet os asinæ loquens post mundi perfectionem inter duas vesperas creatum, & postea demum apertum fuisse. Nempe decem res scribunt creatas esse post perfectionem mundi in ascensu sabbathi inter duas vesperas, scilicet Mannam, puteum de quo Num, XXI. 16. virgam Mosis, Schamir, sive vermiculum cujus ope à Salomone dississi fuerint lapides ad ædificationem templi, Iridem, nubem gloriæ, de qua Exod: XL os terræ, quo Core cum reliquis absorptus, scripturam tabularum fœderis, dæmones, tandemque os loquens asinæ. Sed ut Judæi multa confingunt, ita à Gentilibus quoque non pauca ipsis præter verum affìcta & impacta fuerunt, quod quorsum hîc proferam, mox liquebit. Nempe unanimi fere consensu Gentiles Judæis ὀνολατρείαν seu asini cultum, divinosque honores asinis exhibitos, quin & hostias iis immolatas obijciunt. Variæ hîc sunt variorum conjecturæ, unde originem traxerit fœdum hoc & impudentissimum gentilium mendacium, quibus suis authoribus relictis, hanc duntaxat hac

occaſione viris eruditis expendendã proponimus, annon fieri potuerit, ut, quoniam gentiles inaudiverãt in libris Moſis aſinæ loquẽtis factam eſſe mentionem, fortaſſis anſam inde arripuerint Judæis hunc aſinorum cultum affingendi? de cætero ſi mirum nobis videatur, Bileamum inſolita *Aſinæ* loquelâ minime conterritum fuiſſe, id quod aliis dubio procul accidiſſet, ſed audacter & intrepidè omnino ei reſpondiſſe, cogitandum eſt, illum tanquam augurem aliâs quoq; diaboli oraculis aſſuetũ, vel ira & vindictæ cupiditate excœcatum fuiſſe, ut aſinæ ſermone nequaquam cõmotus vel expavefactus fuerit, vel denique hoc illius inſipientiæ adſcribendum eſt, quam παραφρονίαν Petrus diſertè ei tribuit. Porrò ſilentio præterire nõ poſſum, quòd contendant Judæi, Bileami aſinam ab angelo fuiſſe interemtam, prave exponentes ſcilicet verſ. 33. qui ita habet: ולאי נטתה מפני כי עתה גם אותך הרגתי ואותה החייתי *niſi declinaſſet à facie mea, te occidiſſem, ipſam verò vivificaſſem.* Mens Angeli hæc eſt: niſi aſina à via declinaſſet, ſe prophetam occiſurum, aſinam verò vivam conſervaturum fuiſſe. Judæi verò manifeſtam verbis vim facientes, ea in hunc capiunt ſenſum: angelum, niſi aſina declinaſſet, prophetam occiſurum fuiſſe, quemadmodum & aſinam enecaverit. Aben Eſra quidem
obji-

obijcit ex Jud. 13. 22. homini angelo conſpecto moriendum eſſe אף כי הבהמה שאין לה שום שותפות עם רוח המלאך כבן אדם *quanto magis bruto, quod nullum habet commercium cum Spiritibus Angelicis, quale homo.* Verùm Manoah ibi loci dixit potius id, quod timebat, quàm quod eventurum erat, & proin ejus verba non ſunt pro canone quodam habenda. Deinde contrarium evincunt verba, verſ. 33. modo explicata. Sunt ex Hebræorum Magiſtris alii, qui dicunt aſinam ab Angelo interfectam eſſe שלא יהיו אומרים זו שדברה ועושין אותה יראה *ne diceretur, hæc eſt aſina, quæ locuta eſt, & fieret idolum.* Verùm fruſtra affertur ratio, *cur* aſina ab Angelo interfecta fuerit, quamdiu illam interfectam eſſe non conſtat. Nunc mantiſſæ loco paucula annectemus de quibuſdam Bileami effatis. Cap. XXIII. v. 8. dicit: מה אקב לא קבו אל ומה אזעם לא זעם יהוה *cur maledicam ei, cui non maledixerit Deus, quid deteſtabor quem non deteſtatus eſt Deus?* convenit cum Paulino illo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* verſ. 9. hæc habentur: מראש צורים אראנו ומגבעות אשורנו *de vertice petrarum videbo eum & de collibus intuebor illum.* Nempe à Moabitarum Rege Balako in ſublimia fuerat deductus loca, unde totum

pote-

Poterat contemplari Israelem. Subjungit continuò הן עם לבדד ישכון ובגוים לא יתחשב *Ecce populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.* His verbis Bileam populum Israeliticum intelligit, qui solus habitare dicitur, quòd esset separatus à reliquis omnibus mundi populis, cultu, religione, institutisq; nihil commune cum illis habens, quo fine quoque Deus illi dedit legem ceremonialem veluti parietem intergerinum inter eum & gentes. Profani Scriptores hujus populi peculiaria ita depingunt. *Barbaram superstitionem gentis* increpat Cicero in Orat. 24. & post eum Tacitus scripsit l. 5. c. 4. Hist. *Moses, quò sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosq; cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.* Consimiliter Justinus l. 36. *caverunt ne cum peregrinis communicarent.* Quando Moses dicit, *ecce populus solus habitabit*, in Hebræo est לבדד quod hîc idem valet quod בדד ut Ps. IV. 9. אתה יהוה לבדד לבטח תושיבני *Tu Domine solus securè habitare facies me.* Perperam ergo Pagninus reddidit vocem לבדד *confidenter*, neque enim in Hebræo est לבטח sed לבדד quæ utique differunt. Etiam LXX. interpretes hîc verterunt μόνος. Pergit Bileam

v. 10.

v. 10. hunc in modum: מי מנה עפר יעקב ומספר את רבע ישראל *Quis numeravit pulverem Jacob, & numerum qui est cum quadrante Israel?* Vox pulvis hic non originem hominis ex pulvere, uti aliâs, denotat, sed ingentem posterorum numerum, quo significatu Deus olim Abrahamo pollicitus fuerat, se ut pulverem terræ semen ejus multiplicaturum esse. Bileami itaque mens hæc est, si quartæ partis Israelis numerus sit innumerabilis, multò magis totum Israelem fore innumerabilem facta conclusione à minori ad majus, quam Hebræorum Magistri קל וחומר appellare consueverunt. Sequens quoque est Bileami effatum. תמות נפשי מות ישרים ותהי אחריתי כמוהו *moriatur anima mea morte rectorum & sit novissimum meum sicut ipse*. Persuasum itaque habuit Bileamus ex hac vita sibi migrandum esse, confitetur differentiam obitus piorum & impiorum. Illos nuncupat ישרים rectos seu Deo gratos, agnoscit tandem in fine vitæ adipisci beatitudinem, alioquin illorum sortem sibi non exoptaret. Desiderat mori morte rectorum, hoc est, εὐθανασίαν appetit, & beatum ex hac vita excessum. Quod dicat, *moriatur anima mea*, inde non tuto quis inferat, credidisse Bileamum animæ mortalitatem, significat e-

nim vox animæ quandoque vitam, adeò ut Bileam rectorum instar optet deponere vitam. Sed quoniam vitæ ejus ratio procul abfuit à vita rectorum, hinc votum ejus irritum fuit. Præterea mors Bileami violenta fuit ut evidenter liquet ex Numeror. 31. 8. ubi gladio interfectum fuisse legimus. Vers. 19. hunc in modum fatus est: לא איש אל ויכזב ובן אדם ויתנחם ההוא אמר ולא יעשה ודבר ולא יקימנה *non est vir Deus, qui mentiatur, aut filius hominis ut pœniteat eum, ipse dixit & non faciet? locutus est & non præstabit illud?* Rectè & convenienter Scripturæ amovet à Deo pœnitentiam, quippe quæ infert mutationem, cujusmodi in Deum non cadit. Itaque si nonnullis in locis Deo pœnitentiam adscribit excluso affectu intelligendus est effectus. Versu 21. sequentia edicit: לא הביט און ביעקב ולא ראה עמל בישראל *Non intuetur iniquitatem in Jacob, nec aspicit perversitatem in Israele.* Non intuetur nec aspicit, hoc est, non amat, non approbat, nam quæ improbamus, ab iis vultum avertimus. Alij vocem און hîc vertunt *vanitatem* & vocem עמל *ærumnam*, molestiam, quasi dicere voluisset Bileam: non patietur Deus vanum in Israele obtinere cultum & do-

doctrinam, nec permittet ut ſub malis tyrannide & injuſtitia ſuccumbat. *Deus eſt cum eo*, (uti ſequentia ſonant) ותרועת מלך בו *& clangor Regis in eo.* Quæ de clangore hîc profert, quidam ſpectare putant ad tubas ſacras; quarum uſus in populo Iſraelitico frequens admodum fuit, vel in diebus Feſtis aut in exitu ad pugnã. Unde & Tacitus l. 5. Hiſtor. ubi de Judæis agit: *Sacerdotes eorum tibia tympanisq; concinebant.* Alii ita accipere malunt verba, quaſi dicere voluerit, populum in Rege ſuo jubilare & lætari. Pergit verſ. 22. vates Pethoræus: מוציאם ממצרים *Eduxit illos ex Ægypto* כתועפות ראם לו *Sicut vires Monocerotis ei ſunt*, id eſt, robuſtior eſt robuſtiſſimis. Vox תועפות *vires* notat quamvis derivata ab ejuſmodi Radice quæ laſſum & defatigatum eſſe notat, quaſi diceres tantum vigorem & robur, cujus ope ſuſtinemus & perferimus labores abſque laſſitudine & defatigatione. Vox verò ראם vertitur Monoceros ſeu unicornu. Unicornu autem veteres paſſim deſcribunt ceu animal magnitudine equos adæquans unicumque in fronte cornu gerens. Verùm tale animal in rerum natura reperiri, docti hodie negant; quippe nemini unquam viſum. Itaque non-

nonnulli eorum per ראם in sacris intelligunt Rhinocerotem, animal ferocissimum & elephanto inimicissimum, cui Pausania teste l. 9. geminum cornu, unum grande in naribus, alterum minusculum in humeris sive armis. Unde & Martialis in Spectacul. Epigr. 22. de Rhinocerote quodam in arenam producto contra ursum,

Namq; gravem gemino cornu sic extulit ursum
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Neque enim in priore versu *urum*, quod quidam volunt, legendum esse censeam. Alii malunt ראם esse capreas bicornes Arabiæ admodum validas & miræ albedinis, quæ quòd caput soleant efferre à *râm* dictæ videantur. Quicquid sit (neque enim nostrum est tantam componere litem) sive ראם sit Rhinoceros, sive caprea, hoc certum videtur, in sacris non posse denotare unicornu seu animal unicum in fronte gerens sicut unicornu describitur, eo quòd Moses Deut. XXXIII. 17. ראם diserte tribuat sive duo sive plura cornua, קרני ראם קרניו *cornua unicornis cornua ejus*. Similis est locus Psalm. XX. vers. 22. Versu 23. hoc quoque Bileami effatum legere est: לא נחש ביעקב ולא קסם בישראל *Non est augurium in Jacob, neque est divinatio in Israele.* Vel, non est augurium

gurium contra Jacob, & non est divinatio contra Israelem, hoc est, nihil proficiunt diræ quæ incantatorum & magorum opera adversus populum istum enunciantur.

DISSERTATIO
TERTIA
De
UNCTIONE REGIA
IN V. TEST.

APud veteres olim Hebræos usitata quoque fuit unctio Sacerdotum & Regum. De Unctione Sacerdotum egi in Catalectis Philologico-Theologicis, capite XXII. Nunc animus fert agere de Unctione Regia, sunt enim omnino circa hoc argumentum nonnulla, in quæ inquirere operæ pretium est. De Saule ungendo occurrit mandatum Dei ad Samuelem, 1. Sam. IX 16. *Circa hoc tempus mittam ad Te virum de terra Benjamin, & unges eum in ducem super populum meum Israel, & salvabit populum meum de manu Philistæorum.* Executio narratur 1. Sam. X. *Et sumsit Samuel lenticulam olei, & effu*

effudit super ejus caput. Idem à se factum comme-
morat ipsemet Samuel, 1 Sam. XV. v. 1. אתי
שלח יהוה למשחך למלך על עמו על ישראל
*Me misit Jehova ad ungendum Te in Regem super
populum suum super Israelem.* Post Saulem
uncti quoque fuerunt Reges alii veluti Da-
vid, Salomon, Joas, Jehu, adeo ut ab hac
unctionis ceremonia Reges quandoque *un-
ctorum* nomine insigniti fuerint, ut liquet ex
Esaj. XLV. v. 1. Ex allatis itaque exemplis
unctionem Regum usitatam fuisse, clarum
est: Verumtamen hoc in quæstionem venit,
utrum omnes omnino Reges absque discri-
mine uncti fuerint, an verò illi tantùm, qui ad
regiam dignitatem evecti sunt per electio-
nem, & ex illis qui regnum jure successionis
tenebant, illi tantùm, quibus controversia de
Regno fuit mota? posterius Judæis placet.
Nempe tradunt hi, primo illos duntaxat Re-
ges unctos fuisse, qui Reges creati fuêre per
electionem, nequaquam verò qui tales erant
per successionem. Hinc scribunt: אין מושחין
מלך בן מלך *Non ungunt Regem filium Regis*: Itē:
בתחילה טעון משיחה מלך בן מלך אין טעון משיחה:
*Rex primò electus unctione opus habebat, Rex
verò Regis filius ea non indigebat.* Deinde tra-
dunt iidem, si qui Regum, qui Reges erant
per successionem & jure hæreditario, uncti

fue-

fuerint, quandoque factum hoc esse, מפני מחלוקת propter interveniens aliquod dissidium, vel quod adversarius quidam Regi dubiam successionem reddere conaretur. Itaque quòd Salomon, Joas, Jehoachas regii licet filii & jure successionis sceptrum adepti, nihilominus uncti fuerint, in causa fuisse lites ab Adonia, Athalia, Jojakimo ipsis vel motas vel metuendas. His tamen traditionibus Judæorum, multi non fidunt. Celeberrimus RELANDUS in Antiquitatibus Sacris Part. II. c. 9. scribit: *Quod porro Judæi tradunt de Regibus quibusdam non unctis, qui tranquille parentibus in imperio succedebant, multis non probatur, quum omnes Reges uncti videantur, & voces Rex & unctus ut synonymæ passim permutentur, uti & ungere ac constituere Regem.* De oleo unctionis antequam loquamur, dicemus aliquid de vase, ex quo oleum effundebatur. Observant enim Judæi in unctione Saulis & Jehu adhibitum fuisse tale vasculum, quod 1. Sam. X. & 2. Reg. IX. vocatur, פך quod quidam vertunt lenticulam, alii Phialam, alii vasculum, in unctione verò Davidis & Salomonis usurpatum fuisse קרן cornu 1. Sam. XVI. 1. Reg. I. quam vocabulorum differentiam huc trahunt, quasi פך lenticula, ceu vas fragile significaverit brevi-

tatem imperij Saulis & Jehu קרן verò *cornu* ut robuſtum quid, durationem longam imperij Davidis & Salomonis, unde natum illud Rabbinorum: שאול ויהוא שנמשחו בפך לא נמשכה מלכותם דוד ושלמה שנמשחו בקרן נמשכה מלכותם *Saulis & Jehu ex lenticula unctorum Regnum non perduravit, Davidis & Salomonis ex cornu unctorum regnum perduravit.* Hanc ſententiam adoptavit quoque Celeb. Goodvvinus in Moſe & Aarone lib. I. cap. 4. *Præterea* (inquit) *Saul & Jehu uncti fuère* בפך השמן *lenticula ſive vaſe unguentario quod portendebat brevitatem ipſorum imperij; David autem & Salomon perfuſi fuere* בקרן *cornu unguentario h. e. abundanti copia, quod præſagium erat regni ipſorum longius duraturi.* Verùm nullo ſcripturæ indicio conſtat, neque compertum eſt voculam פך vas fragile ſignificare, & פכה (unde hoc פך videtur deſcendere) nihil cum fragilitate commune habet, ſed notat manare fluere. Neque reſtrictum eſſe prorſus nomen פך ad fragilitatem, docent ii interpretes qui conſtanter פך reddunt per קרנא & מנא vas, quale ex omni materia etiam duriſſima ut ferro & argento fieri poteſt. Græcum etiam φακὸς hîc à LXX. interpretibus uſurpatum & ex Hebræo פ ut videtur ortum, nil aliud denotat obſer-

observante Casaubono ad Athenæum l. 10. c. 2. quàm quicquid est φακωτὸν, formam lenticularem habens, id est, rotundam, qualicunque demum materiâ constet, imò de æneis rebus dicitur. Ita Justinus Martyr in Orat. prior. ad Græcos φακὸν, vocat urnam lenticulari forma ex ære factam, in qua Sibyllæ Cumanæ reliquias sibi ostensas narrat. Quamobrem non est cur expositioni huic Judaicæ multum tribuamus. Si verò velimus discrimen aliquod statuere inter פך lenticulam è qua uncti fuere Saul & Jehu & inter קרן cornu, è quo uncti fuere David & Salomon, potius in forma hoc discrimen quærendum fuerit, quam in materia vasis. Itaque forsan פך habuit os angustius קרן verò, è quo uncti David & Salomon, habuit os magis patulum, ut olei copia major ex cornu effusa fuerit, in viros Deo dilectissimos Davidem & Salomonem, quam alios minus ei gratos Saulem & Jehu, id quod ad dona Spiritus & prosperitatem majorem vel minorem respectum aliquem habere potuit. Progredimur ad oleum, quo uncti fuerunt Reges. Hic verò potissimùm in quæstionem venit, utrum Reges eodem, quo Sacerdotes, oleo delibuti fuerint? Oleum unctionis sacerdotalis dictum שמן

המשחה

המשחה ex qua ~~materia~~ conficiendum fuerit accurate traditur, Exod. XXX. Volebat Deus ad id sumi aromata præstantissima veluti myrrham puram, cinnamomum, calamum & casiam. Hoc oleo sacerdotali Reges fuisse delibutos, vix probabile nobis fit, si sequentia rationum momenta pensitemus. Primo enim Exod. XXX. nonnisi tabernaculi, vasorum & sacerdotum sacro oleo ungendorum fit mentio, imo post memoratos sacerdotes vetat Deus sub pœna excidii oleum illud *super carne hominis* (alterius scilicet) ungere, & ponere ex eo על זר super extraneum, quæ si quis exponere vellet de eo ad quem non pertinet sacerdotium vel regnum, ex contextu accuratè inspecto discere posset, agi potius de eo, qui ad familiam Aharonis sacerdotalem non spectat, præsertim si cum hoc Exodi loco conferret Levit. XXI. 10. & Numer. XVIII: 4. Ipsa verò verba Exod. 30. ita habent à vers. 25. *Et facies* (inquit Deus) *oleum unctionis sanctitatis, unges eo tabernaculum & arcam testimonii, & mensam omniaque vasa ipsius & altare suffimenti, altare quoque holocausti & omnia vasa ipsius & concham & basin ejus : ita sanctificabis ea, erunt sanctitas sanctitatum Aharonem præterea & filios ejus unges & sanctificabis eos, ut*

ſacerdotio fungantur mihi, ad filios autem Iſrael loqueris dicendo: Oleum unctionis ſanctitatis erit hoc mihi per generationes veſtras, ſuper carnem hominis (ſc. alterius) *non unget, neque ſecundum compoſitionem ejus facies ſimile, quiſquis fecerit unguentum ſimile & qui poſuerit ex eo ſuper extraneum* (h. e. non pertinentem ad familiam Aharonis ſacerdotalem) *ſuccidetur è populis ſuis.* *Secundò* Pontifici mortuos lugere ideò nefas erat, quia oleum unctionis ſuper capite ejus erat Levit. XXI. 10. Regibus verò non fuit inuſitatum eoſdem lugere ac funera illorum proſequi argumento locorum. 2. Sam. III. 31. XVIII. 33. & XIX. 1. per conſequens oportet oleum hoc ſacrum nō fuiſſe ſuper capite illorū. *Tertiò* oleum ſacerdotale conſtanter vocatur oleum unctionis ceu variorum aromatum acceſſione auctum, illud verò oleum, quo Reges inaugurabantur, nunquam aliter quam oleum ſimpliciter vocatur, hincque adeo non idem fuerat cum oleo ſacro. Objici poſſit huic ſententiæ quòd Deus dicat, Pſalm. 89. verſ. 21. מצאתי דוד עבדי בשמן קדשי משחתיו *Inveni Davidem ſervum meum, oleo ſanctitatis meæ unxi eum.* Verum reſponderi queat id nomen mereri quodvis oleum divino juſſu à propheta Samuele uſurpatum

ad unctionem Regis Davidis peragendam: objicitur porro ad Salomonem ungendum Zadocū accepisse cornu olei ex tabernaculo 1 Reg.I.39. Verùm nonnulli hîc specialem dispensationem agnoscunt, quô tamen devenire non est necesse. Etenim præter oleum sacrum sacerdotale aliud quoque ibi aderat oleum in usum lampadum uti constat ex Levit.XXIV.2. quinimo aliud ad unctionem regiam ibi consecrari poterat. Unde etiam corruit quod de Joaso in templo uncto ex 2 Reg.XI.12. affertur, siquidem & illic oleum aliud non defuit, & abundanter eò deferri poterat, quando status istius temporis postulabat in templo fieri novi Regis inaugurationem. Sed satis de hac quæstione. Oleum in caput Regum effusum fuisse liquet ex 1.Samuel.X.v.1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei & effudit super caput ejus* sc. Saulis. Et 2. Reg.IX.3. Elisa mandat uni ex filiis prophetarum, *ut tollat lenticulam olei* & effundat super *caput Jehu*. Ipsa executio habetur versu 6. *& fudit oleum super caput ejus*. Neque exigua copia factam fuisse hane יציקה effusionem, , docet mandatum cornu oleo implendi מלא קרנך שמן *imple cornu tuū oleo*. 1.Sam.XVI.1. Quód caput potius quàm alia pars corporis ungeretur, ratio est ejus dignitas.

nitas.

gnitas, eminentia atque in membra alia potestas. Abarbanel scribit: להיות הראש מקום החכמה והתבונה ומקור המעלה היה ראוי שימשחו המלכים מנהיגי העם על ראשם *Cùm caput sit sedes sapientiæ & intelligentiæ & fons dignitatis, par erat, ut ungerent quoq; Reges gubernatores populi super caput eorum.* Effusioni olei super caput jungunt Judæi *inunctionem* seu certam olei per manus applicationem ad formam non χ Græcorum, ut in sacerdotibus, sed coronæ seu circuli rotundi, quam vel in capite simpliciter dicunt factam, vel inter oculorum palpebras in fronte, & vel Regibus tribuunt promiscuè, vel iis speciatim, qui erant de familia Davidis. Sic quando quærunt כיצד מושחין את המלכים quomodo ungebant Reges? Respondent, כמין נזר *ad modum coronæ*, adduntque alii בין ריסי עינים *inter oculorum palpebras.* Traditio hæc Judaica de modo unctionis ad formam circuli rotundi seu coronæ adeo placuit nonnullis, ut suspicati fuerint, etiam Pontificibus maximis coronæ formam fuisse inunctam, antequam Regibus obtingeret, eo quod Levit. XXI. 12 dicatur, נזר שמן משחת *corona olei unctionis esse super eum*, sed conjectatio hæc vana est, quoniam corona olei unctionis metaphoricè notat

excellentiâ unctionis segregantis Pontificem M. ab aliis, vel respicit ad laminam auream cidari junctam in capite inuncto de quâ Exod. XXIX. & Levit. VIII. Istud adhuc dicendum. Si oleum manu humana in certam formam fuit diductum, nullam convenientiorem quam coronæ futuram fuisse, cùm circulus apud Mathematicos sit perfectissima figura, & corona regiæ potestatis emblema sit. Interim fatendum est, hanc traditionem ex scriptura non firmari, quippe quæ potius effusionem olei & unctionem synonyma facit, ideoque geminam hanc phrasin non simul, sed modò unam duntaxat modò alteram adhibet. Pergimus ad Ministros unctionis regiæ seu illos à quibus peracta fuit. Notavit eos passim scriptura. Ex. gr. Saulem unxit Samuel propheta, qui idem officium primus præstitit Davidi. Salomonis unctio facta fuit à Zadoko Sacerdote, 1 Reg. I. 39. Joasi seu ministerio seu cura Jojadæ Pontificis 2. Reg. XI. 12. Jehu à quodam prophetarum filio. 2. Reg. 9. Ex hisce exemplis allatis quid colligere possumus, nisi quandoque à propheta, quandoque verò à Sacerdote unctionem Regum peractam fuisse. Ergo non semper propheta, nec semper sacerdos illam peregit. Sed annon aliquando

liquando bini illam peregerunt partim sacerdos partim propheta? *Ego* non putem hoc unquam factum fuisse. Cur igitur, inquiat quis, David dixit: 1. Reg. 1. 34. *Et unget eum*, (sc. Salomonem) *Zadok sacerdos & Nathan propheta in Regem super Israelem*, annon disertè hîc David præcipere videtur, ut & Zadok sacerdos & Nathan Propheta ungant *Salomonem*? Respondeo: Conferendus est cum hoc versu 34. versus 39. ubi unctio Salomonis non utrique, & Zadoko & Nathani sed tantùm Zadoko tribuitur, dicitur enim: *& tulit sadok Sacerdos cornu olei de tabernaculo & unxit Salomonem*. *Ergo* versu 34. nihil aliud innuitur, nisi Nathanem fuisse quoque præsentem & forte manum auxiliarem in consecratione integra novi Regis præbuisse, eodem modo quo vers. 38. Benaja dicitur fuisse præsens, & conjungitur ibi cum Nathane. Sed sicuti Benaja non unxit, ita neque Nathan, sed tantummodo Sadok sacerdos. Quod porro ad tempus unctionis regiæ attinet, Judæi in genere tradunt illam fieri debuisse ביום ולא בלילה *interdiu & non noctu*. Sic Abarbanel: מצאנו במשיחת הכוהנים ובמשיחת המלכים שהיו מושחים את כלם ביום ולא בלילה *Reperimus in unctione Sacerdotum & in unctione Regum, quòd unxerint*

 rint

rint eos de die & non de nocte. Addit idem: סימן ברכה וטובה שהיתה מלכות והגדולה ההיא זכה מאירה מבלי חושך וצרה: *Signum erat benedictionis & boni quòd regnum & magnitudo hæc futura esset pura & lucida sine tenebris & anxietate.* Volunt ergo hoc de die factum esse boni ominis ergo ad serenitatem & felicitatem futuri regiminis præsignificandam. De Loco unctionis peragendæ hanc quoque Judæi traditionem jactant, non potuisse ungi Reges Judæ nisi Hierosolymis idque prope fontem. Ita enim illi: אין מושחין את המלכים אלא על המעין כדי שתמשך מלכותם *Non ungunt Reges nisi apud fontem, ut protrahatur regnum eorum.* Ista quidem ratio duraturi & perennaturi Regni non esset mala, modo factum constaret. At certum est peculiare hoc fuisse Davidis mandatum de Salomone 1. Reg. 1. 33. ut ad fontem Gihon Zioni vicinum, & juxta nonnullos, eundem cum Siloë, duceretur ungendus, inde cum pompa rediturus in civitatem regiam. Profecto illic non fuit unctus Saul, sed in exitu urbis Ramah 1. Sam. 9. 27. & 10. 1. Neque ibi David unctus, sed in Bethlehem primùm 1. Samuel. XVI. v. 4. Deinde in Hebron, 2. Sam. 2. vers. 4. Sic post Salomonem in alio loco non tantùm unctus fuit Jehu,

sed

ſed & Joas, nimirum in templo. De unctione regia & hoc obſervari meretur, quòd illa nonnunquam repetita fuerit, uti Exemplis manifeſtis conſtat. Ex. gr. de Davide diſerte narrat ſcriptura ter fuiſſe unctum. primo ante mortem Saulis, 1.Sam. 16. Secundò poſt mortem Saulis à viris Jehuda, unctus fuit in Regem ſuper domum Jehuda. 2.Sam. 2. & tertio denique unctus fuit in Regem ſuper univerſum Iſraelem, 2.Sam. 5. ubi notamus viros, cæteroquin eruditiſſimos, inſigniter hallucinatos eſſe, quando Davidem nonniſi bis unctum fuiſſe aſſeveranter ſcripſerunt. De Salomone hoc verius dixiſſent, cujus prima unctio legitur, 1.Reg. 1. v.39. Secunda verò ante mortem Davidis ſolennius repetita præſente toto cætu, 1.Chron. 29. v.22. *Et ederunt & biberunt coram Jehova in die illo in lætitia magna & Regem fecerunt ſecundo Salomonem filium Davidis, & unxerunt coram Jehova in ducem, & Zadok in Sacerdotem*, vel: *coram Zadok Sacerdote*, vel: *per Zadok Sacerdotem.* Neque dubitandum, quin bis etiam unctus fuerit Jehu, ſemel ab Elia, qui præceptum expreſſum illum ungendi accepit, nec ut fidelis Dei ſervus illud negligere potuit, 1.Reg. 19. & ſecunda vice à filio prophetarum ad mandatum Eliſæ,

2.Reg.

2.Reg.9. Neque enim opus est in hac unctione executionem prioris duntaxat mandati constituere, eo quod cerimoniæ hujus natura & finis repetitionem non respuat, imo in aliis non minùs iterata fuerit. Quod attinet ad Saulem, licet expressis verbis non dicatur repetita illius unctio, verisimile nihilominus est illum ter unctum fuisse. Primò enim unctus fuit privatim in Ramah, 1.Sam.X. Secundo coram toto populo in Mizpah, quando hic producto per sortem Saule clamavit, יחי המלך Vivat Rex. 1. Sam.X. Tertio denique post victoriam de Ammonitis in Gilgal publicè, ubi regnum illi renovatum, & Rex factus dicitur, 1.Sam. XI. Ratio repetitæ quandoque unctionis ex allatis exemplis evidens est, scilicet non tantum repetitum benedictionis cœlestis votum, sed & Regis privata primum designatio, communior approbatio & confirmatio, nec non regni sive inchoata gubernatio, sive etiam amplificatio. Finis & scopus unctionis regalis fuit ut designaretur symbolo hoc is, cui potestas suprema esset collata, ut dona spiritus necessaria omnium votis in ipsum conferrentur, ut bonum odorem de se spargere disceret, utque Majestas ejus à violatione immunis esset. Unctio

ctio hæc Regum Hebræorum, utique post Josiam etiamnum in usu fuerat, siquidem unctus legatur filius ejus Joachaz, 2. Reg. 23. Quid verò dicendum sit de tempore post captivitatem Babylonicam, non liquet. Cæterùm observare est hanc Veterum Hebræorum unctionem regiam dubio procul imitari voluisse Christianos, Reges suos oleo ungentes. Ita Galliarum Reges oleo unguntur ab Archiepiscopo Remensi, traduntque Scriptores Pontificij, quòd Tempore Clodovei hujus nominis primi, & primi Regis Christiani columba de cœlo descenderit, rostro tenens ampullam oleo fragrantissimo repletam, quo Remigius illius ævi Archiepiscopus Remensis Clodoveum prius baptizatum unxerit. Iidem hoc oleum ajunt Remis in ampulla sancta summa cum cura etiamnum asservari ad ungendos Reges, neque vel copiam vel odorem ejus unquam imminui. Quid horum credendum sit, vel non, facile cuivis erit dijudicare.

DIS.

DISSERTATIO QUARTA

De

NONNULLIS JUSTINI

Hallucinationibus circa res Judæorum.

SUnt inter Scriptores veteres Græcorum & Romanorum aliqui, veluti Diodorus Siculus, Tacitus, Plutarchus, Petronius, Juvenalis, Justinus, quibus solenne est, quando ad res Judæorum delabuntur, fabulas & commenta falsa pro veris tradere. In eo tamen discrepant, quòd quidam illorum hoc fecerint malitiâ & odio gentis Judaicæ ducti, alii verò inscitia & errore abrepti. Posterioribus accensendus videtur Justinus, de cujus hallucinationibus nonnullis circa res Judæorum hac vice animus est agere. Continentur autem ejus errores potissimum capitibus secundo & tertio libri Trigesimi sexti. Ante omnia originem gentis Judaicæ pandere Justinus in animum induxit hunc in modum caput secundum inchoando: *Namque Judæis origo*

Da-

Damascena Syriæ nobilissima civitas. Prodit nempe Judæos Damasco Syriæ urbe oriundos esse, id quod à vero planè abludit. Origo enim illorum, si ad Abrahami & Majorum illius tempora ascendendum, ex Chaldæa potius repetenda, in qua vetustissimis temporibus Eberi posteri habitarunt, uti constat ex capite Josuæ vigesimo quarto. Abraham enim cum Patre Thara jussu divino patriam relinquens dicitur exiisse ex Ur Chaldæorum civitate Genes. XI. ubi τὸ Ur est nomen proprium, nequaquam verò appellativum, ignem significans, quod Judæis arridet nugantibus Abrahamum à Nimrodo ob negatum idolis cultum cum fratre Haran in ignem conjectum, sed salvum & incolumem divini Numinis ope è flammis prodiisse, ac propterea ex *Ur* igne Chaldæorum ipsum egressum dici, Haranem verò in igne interiisse, id quod ex Genes. XI. 28. eliciunt, ubi Haran *ante Patrem suum* Thara in *Ur* Chaldæorum extinctus dicitur, quod illi exponunt, in conspectu Patris in Chaldæa igne periisse, non observantes *Ur* ibi patriam Haranis disertè appellari. Interea tamen etsi Judæorum origo Damascena minimè sit, hoc tamen non negandum, Majores Judæorum, Abrahamum, Isaacum & Jacobum aliquan-

do in Mesopotamia & Syria & circa Damascum habitasse, sed ut advenas & peregrinos. Postea vero David Rex Judæorum occupavit Damascum. 2.Sam,8.6. Antequam ulterius pergamus, observare licet, Justinum in origine Judæorum definienda non solum aberrasse, sed & aliis hoc evenisse, mireque adeò Gentiles circa eam fluctuasse. Annon enim Strabo *l.* 16. *Geogr.* & Diodorus Siculus *l.*1.*c.*28. ab Ægyptiis Judæorum originem arcessunt. *Fama* (inquit Strabo) *asserit, Ægyptios fuisse eorum progenitores, qui nunc Judæi appellantur.* Tacitus ex Creta Insula, quæ Candia hodie dicitur, Judæorum Natales deducit libr. 5. Histor. cap. 4. quæ tamen priscis Judæis prorsus incognita fuit. Aristoteles teste Josepho (*c. Apion. l.*1.) Judæos ex India ortum duxisse existimavit. Dum Damasci Syriæ civitatis mentionem facit Justinus, tradit simul, à quonam illa hoc nomen acceperit. *Nomen* (inquit) *urbi à Damasco Rege inditum*, quæ nova est hallucinatio. Neque enim Damasci Regis sacer Codex vel profani Scriptores uspiam meminere. Cætera fatendum, difficile dictu esse, unde urbs hæc nomenclationem suam nacta fuerit, quæ etiam Damesek, 2. Reg. 16.10. & Darmesek 1. Chron. 18.

voca-

vocatur, cujusque ædificationem Josephus *l.* 1. *ant. Jud. c.* 14. Arami filio primogenito Semi Nepoti, Huz adscribit. Dictam nonnulli censent à דם sanguine, id est, vino rubro, & שק sacco, quasi à magna vini copia. Ex Judæis sunt, qui Damascum hebraicè דמשק dici putant ex דם (sanguis) & שק (saccus) quasi saccum sanguinis, derivata appellationis ratione à fratricidio Caini, quem in ea Regione occidisse fratrem Abelem tradunt. Sed hæc dubia sunt & incerta. Quicquid de origine nominis sit, urbem Damascum antiquissimam esse vel inde constat, quòd jam Abrahami tempore floruerit, ex qua Eliezerem servorum præcipuum habuit. Post Damascum Regem Justinus fuisse dicit Azelum, huncque facit Abrahami avum. Verùm scriptura nos docet avum Abrahami fuisse Nahor, Genes. 11. Nec quisquam inter Abrahami Majores dictus fuit Azelus. Quisnam ergo fuit iste Azelus? An fortassis de *Sala* aliquid inaudivit Justinus, qui Serugi proavi Abrahami proavus fuit. Genes. 24. Vel an de Eliezere œconomo Abrahami, quem per errorem inter Majores Abrahami collocat? vel an per Azelum forte Asahelem Syriæ Regem qui Damasci habitârat, designat, quem Eli-

ſa Propheta Syriæ Regem Dei juſſu declaravit, & qui graviter poſtea Iſraelitas affli xit. 2. Reg. 8, 7. Sed hac ratione iterum fœdiſſimum multorum ſeculorum parachroniſmum admiſiſſet. Poſtquam Azeli mentionem feciſſet Juſtinus, addit: *Mox Adores & Abraham & Iſrael Reges fuêre.* Haud difficilis hîc eſt conjectura, quem deſignatum velit corrupto nomine Adores, videlicet Thara, qui fuit Pater Abrahami, Geneſ. XI. ſed & hallucinatur Juſtinus vocando Thara Regem. Rex enim non fuit, ſed exul & exilio mortuus, Geneſ. XI, 32. Cùm facta ſit hîc mentio Thara Patris Abrahami, Judæorum de illo fabulam percenſebimus. Juxta illos ergo Thara Abrahami Pater non tantùm Idololatra fuit, ſed & Idola (ut qui ſtatuarius fuerit) paravit, eorumque venditione quæſtum fecit maximum. Forte negotiorum cauſa iter ei aliquando ſuſcipiendum erat. Abrahamum igitur tabernæ præfecit. Si quis accedebat emtor, quæſivit Abrahamus ex eo, quot annos natus eſſet? iſto verò annorum numerum & ætatem ſuam ediſſerente, tum Abrahamus, quæſo Te, inquiebat, ô homo, annon vehementer inſanis, qui, cùm eâ ætate ſis, tamen idolum adorare non dubitas, quod è rudi materiâ fuit efformatum?

Quam-

Quamobrem rubore suffusi, quotquot emtum venerant, re infecta discesserunt. Adfuit postremo anus quædam offam afferens, quam sacrificare animus ei fuerat omnibus, quæ in hac taberna prostabant, numinibus. Hîc vero Abrahamus ira percitus amplius se continere non valens accepto fuste omnia Numina comminuit, solo ex iis maximo relicto incolumi, cujus manibus fustem ipse commisit. Interea temporis reversus Thara Pater Abrami, illamque stragem cum horrore aspiciens ex Abrahamo quærit, quis eam edidisset? Enimverò (respondit Abrahamus) nescio quæ vetula adventaverat, offam consecrans istis Numinibus, ibi contentio inter ea orta est longè acerrima, unoquoque sibi offam deposcente. Denique eò res rediit, ut magnum illud reliquisque robustius numen accepto fuste minorum temeritatem compesceret & pœnam de iis sumeret. Pater negat id fieri potuisse, cùm omnia sua numina sensu careant; tum verò filius exprobrare ei cœpit ineptissimam superstitionem, quòd iis honorem deferret, quæ inanima esse ipse agnosceret, quodque opem ab iis præstolaretur, quæ à suis capitibus fustium contusiones averruncare nequiverant. Sed Thara sana consilia nequaquam

admittens adversus filium apud Nimrodum accusationem instituit, qui Abrahamum accitum, illicò ignem adorare jubet. At Abrahamus potius (inquit) aquam quis adoret, quæ ignem extinguit. Jussus vero aquam venerari Abrahamus regerit, nubes potius adorandas esse, quæ aquas sustineant, nubibus igitur cultum exhibere jussus, majori jure hunc vento competere contendebat, eò quòd iste nubes dispergeret: itaque ventum adorare jussus, facere hoc itidem renuit, æquius videri affirmans, ut homo hominem adoret, quippe cui adversus ventum consistere datum sit. Verùm Nimrodus denique animadvertens se Abrahamo esse deridiculo, in fornacem ardentem eundem actutum conjici jussit, unde tamen salvus & incolumis evaserat. Sed redeamus è diverticulo in viam. Justinus porrò Abrahamum quoque Regem facit. *Mox* (inquit) *Adores & Abraham & Israel Reges fuêre.* Verùm & hæc à vero abludunt. Abrahamus Rex nunquam fuit, neque subditos habuit. Error Gentilium Abrahamum pro Rege habentium inde fortassis ortus est, quod audiverint, Abrahamum gessisse bellum & quinque Reges victos profligasse. Genes.14. v.14. Cum plus trecentis servis חניכים armatis, in-

instructisve quos habebat. Verùm scriptura Abrahamum nusquam appellat Regem, sed tantùm de eo testatur, quód cum servis suis persecutus fuerit quinq; istos Reges usq; *Hoba ad sinistrum latus Damasci*. Unde & Josephus errat scribens *l.*1.*A.J.c.*15. *Abrahamum regnasse in Damasco*. Quod Genes. 23. v. 6. Abrahamus vocetur ab Hethitis נשיא אלהים *princeps Dei*, nec illud evincit Abrahamum fuisse Regem, נשיאים enim & מלכים sunt diversi, nihilque aliud innuere volebant Hethitæ, nisi fuisse eum virum magnum & sapientem, unde Thargum vertit רב קדם ײ *magnum coram Deo*. Objici possit tandem id, quod Psalmo CV. v. 15. Abraham & Patriarchæ reliqui nominentur משיחים *uncti Dei*. Sed respondemus hîc unctionem respici non externam oleo peractam, cujusmodi unctio demùm post ætatem Abrahami usitata fuit, quando Reges peculiari unctionis externæ ritu ad munus suum inaugurabantur, sed potiùs unctionem internam, hoc est, dici unctos eo quòd, cùm peculiariter à Deo segregati essent, ut ipsum agnoscerent & colerent, donis Spiritus Sancti largiter instructi fuerint. Justinus asserit quoq; Israelem seu Jacobum fuisse Regem. Isaco omisso loquitur de Israele vel, ut ipse vitiosè

scri-

ſcribit, *Iſrahele* cum aſpiratione h. Jacobus dictus fuit non Iſrael per ח ſed ישראל abſque ח. Dictus ita fuit à lucta cum Angelo increato filio Dei Geneſ. 32. Et hîc ceſpitavit Juſtinus non minùs quòd Iſraelem ſeu Jacobum Regem nominaverit. Nam nec iſte Rex fuit, ſed primùm Labanis ſoceri ſui ſervus per viginti annos, tandem urgente fame cum familia in Ægyptum deſcendit, ibidemque privatus vixit & deceſſit, quod ex Geneſi Moſis abundè conſtat. Pergit hoc eodem capite ſecundo Juſtinus: *Iſraelem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit*, ubi fallitur in eo, quod putârit decem duntaxat Jacobo filios fuiſſe, cùm fuerint ei duodecim (Gen. 35.) Ait porrò: *Itaque populum in decem Regna diviſum filiis tradidit*. Non accuratum eſt, quòd primo dicat, Jacobum populum *diviſiſſe*, quippe qui nondum erat, filios ergo potius diviſit, deinde quod dicat *in decem* diviſiſſe, cùm debuiſſet dicere in duodecim, denique quod dicat *in Regna* diviſiſſe, cùm diviſerit & diſtribuerit in tribus non in Regna, niſi velimus dicere Juſtinum reſpexiſſe diviſionem terræ Canaan inter duodecim tribus, quæ vero diviſio nequaquam à Jacobo, ſed poſtea juſſu Dei per Moſen à Joſua facta eſt, (Joſ. XI.)

Pergit

Pergit Justinus: *Omnesq; ex nomine Judæ, qui post divisionem decesserat, Judæos appellavit: colique ejus memoriam ab omnibus jussit: ejus portio omnibus accesserat.* Quot verba tot ferè lapsus & errores, quos breviter percurremus. Dicit primò *Israelem* seu Jacobum *omnes ex nomine Judæ appellasse Judæos.* Judæi ita dicti sunt à Tribu Juda. Hallucinatur tamen Justinus in eo, quando ipsum Israelem seu Jacobum hujus denominationis authorem facit, ipsumque genti Judæorum nomen imposuisse affirmat, quod post multa demum secula ortum, quodque primùm occurrit, 2. Reg. 16. 6. tempore Regis Achasi Patris Hiskiæ, utique non à Judæ persona, sed à tribu Judæ, Judæ posteris. Post captivitatem Babylonicam toti genti hoc nomen commune fuit, neque illis solùm, qui erant ex Tribu Juda & Benjamin. Unde Elias Levita in Thisbi benè ait: ידוע כי כל ישראל נקראים יהודים *Notum est omnes Israelitas vocari Judæos.* Licet verò in derivatione nominis Judæorum Justinus errarit, propius tamen ad rei veritatem accessit Tacito, qui lib. 5. Hist. c. 2. *ab Ida monte in Creta* (quæ hodie Candia dicitur) *primùm Idæos dictos, & postea aucto in barbarum cognomento, Judæos,* affirmat. Quin & Aristotele

propius ad veritatem accessit, qui existimavit Judæos ab Indiæ sapientibus fuisse propagatos, sed nomen mutavisse, quippe philosophos illos, qui apud Indos *Callani* appellantur, in cava Syria Judæos dici. Porrò Justinus asserit, Judam *post divisionem decessisse*, quod itidem falsum est, Iudam scilicet post divisionem in tribus, ante Jacobum patrem obiisse. Vide Genes. 56. v. 8 14. Asserit ulterius, Israelem seu Jacobum Judæ memoriam ab omnibus coli jussisse. Et hoc falsum est & nuspiam reperitur, essetque contra instituta Hebræorum, qui præter verum Deum neminem colunt. Si de cultu divino, ut videtur, sermo ei est, quo Judas mortuus fuisset afficiendus, idololatriam id sapuisset. Interim tamen & hic aliquid veri subesse videtur. Scilicet Parens Jacobus morti vicinus, Judam omnibus filiis suis prætulit, imperium ejus posteris & Messiam ex illius familia nasciturum vaticinatus, Gen. 49. idque in Davide ac successoribus ejus, Regibus Judæ impletum est. Pergit Justinus scribens *ejus* (scil. Judæ) *portionem omnibus accessisse*. Mens ejus est, Judæ ante patrem suum *Jacobum* defuncti portionem terræ cessisse reliquis fratribus atque inter illos distributam fuisse. Verùm modo diximus falsum esse, quòd Judas ante Jacobum

patrem decesserit. Deinde Judas non decessit ἄτεκνος quippe cujus posteri numerosiores fuerunt quàm ullius tribus (Num. 1. v. 26, 27. 1. Chron. 6. v. 1.) igitur ejus portio non potuit reliquis fratribus accedere. Nunc progreditur Justinus ad Josephum. *Minimus* (inquit) *ætate inter fratres Joseph fuit.* At non minimus fuit Josephus, sed Benjamin qui ipso posterior fuit. Dicit de Josepho, eum in *Ægypto magicas artes solerti ingenio percepisse.* Si Justinus hîc Magiam naturalem, hoc est, accuratam naturalium rerum Scientiam intelligeret, forte nil esset causæ, cur eum hallucinatum esse diceremus, sed si diabolicam innuit Magiam, (uti valde verisimile est) quæ ex collusione & pacto cum malis Spiritibus aut superstitiosis auguriis, extispiciis discitur & exercetur, pro mendacio merito habetur, neque id credere sinit insignis Josephi pietas. Diximus valde verisimile esse Iustinum innuisse Diabolicam magiam, idque propterea, quod continuò subijciat, Mosen (quem per errorem Josephi filium nominat) paternæ scientiæ Magicæ hæredem extitisse. Atque Mosi Gentiles magiam diabolicam tribuisse constat, utpote quibus falsò persuasum fuerat, quicquid supra consuetum naturæ cursum præ-

ſtiterat, id omne magicis artibus effectum fuiſſe. Falsò igitur id quoque Juſtinus Joſepho tribuit. Neque objiciendum eſt ex Scriptura probari poſſe, *Joſephum* divinationis ſtudio deditum fuiſſe. Locus enim Geneſ. 44. v. 5. huc planè non facit perperam à multis intellectus de Scypho quodam, quo Ioſephus ad auguria & divinationes uſus fuerit. Verba verſus quinti capitis allegati, quæ œconomus Ioſephi juſſu protulit, ita habent: הלא זה אשר ישתה אדני בו הוא נחש ינחש בו *annon hoc eſt* (poculum) *è quo bibit Dominus isque divinando divinabit eo,* ubi notandum נחש ſignificare ſagaciter obſervare & τὸ בו non ὀργανικῶς ſeu *inſtrumentaliter*, ſed *objectivè* capiendum eſſe „ hoc ſenſu: annon hic ſcyphus eſt, è quo „ bibere ſolet Dominus meus, annon con- „ jectando conjectaret aut obſervaret de eo, „ ſcilicet quid factum ſit, num exiſtimatis „ ipſum rerum ſuarum tam eſſe negligen- „ tem, ut ſcyphum ſuum, ex quo bibit, „ non obſervet, nec conjectet, à quibus ille „ ablatus ſit. De Ioſepho porrò Iuſtinus: *prodigiorum ſagaciſſimus erat*, quod demonſtrat ex prævifa à Ioſepho agrorum ſterilitate. Sed hæc non tam ſolerti ingenio & ſagacitati naturali adſcribenda ſunt, quàm

ſpe-

ſpeciali Numinis gratiæ Joſepho conceſſæ, id quod ipſemet agnovit, Gen. 41. v. 16. & v. 16. & 50. v. 20. Dicit quoque Juſtinus, Joſephum primum *ſomniorum intelligentiam condidiſſe*, quod itidem falſum eſt, cùm in Ægypto jam ante ipſum fuerint vani ſomniorum interpretes, ut liquet ex Geneſ. 40. & 41. Joſephus verò ipſemet negat c. 40. 8. & 41. 16. ſomniorum interpretationem humanæ eſſe ſcientiæ, ſed facultatis à Deo ſpecialiter & gratiosè conceſſæ, quod clariſſimè etiam demonſtrat Danielis exemplum, qui piis & ardentibus precibus à Deo iſtam interpretandi facultatem adeptus eſt, Dan. 2. Joſephi reſponſa ceu talia Juſtinus deſcribit, *ut non ab homine ſed à Deo reſponſa dari viderentur*. Non debebat dicere *viderentur*, neque enim videbantur tantùm dari à Deo, ſed reverà erant reſponſa divina, quæ Deus ipſe per Joſephum edebat. Genes. 41. 16. Deus enim erat cum *ipſo*. Genes. 39. quod & Pharao agnovit, Genes. 41. Aſſerit ulteriùs Juſtinus: *filium Joſephi fuiſſe Moſen*. Hîc graviſſimè iterum hallucinatur. Joſephus, ut ex S. literis conſtat, duos habuit filios, Menaſſem & Ephraim. Moſis verò pater fuit Amram ex tribu Levi, mater Jochebed ex eâdem tribu, ex quibus parenti-

bus diu post mortem Josephi in lucem editus est. Audiamus quæ porrò prodidit hoc eodem capite secundo de causa exitus Judæorum ex Ægypto. *Ægyptii* (inquit) *cùm scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti eum* (Mosen) *cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt*, & quæ sequuntur. Observandum hîc vetus esse gentilium mendacium, Mosen & Israelitas reliquos in Ægypto lepra infectos fuisse, ideò è finibus expulsos fuisse monente oraculo. Ita Diodorus Siculus & Tacitus. Verùm Ægyptios potiùs scabie & prurigine laborasse videtur hîc agnoscere Justinus, in eo tamen denuó errat, quòd dicat, *Mosen terminis Ægypti pulsum fuisse*. Quasi verò Israelitæ ab Ægyptiis pulsi & ejecti fuissent, quos Pharao non dimittere sed retinere conabatur. Quòd dicit Mosen terminis Ægypti pulsum fuisse *cum ægris* (scil. Israelitis,) ad hoc refellendum facit quod David disertè testetur. Psal. CV. 37. de Israelitis ex Ægypto profectis, *non fuisse* כושל *debilem, infirmum inter eos*. Porrò Justinus tradit: *Mosen sacra Ægyptiorum furto abstulisse*. Hoc iterum apertissimum est mendacium. Quodsi enim Justinus respexit ad vasa aurea & argentea, quæ Dei jussu Israelitæ ab Ægyptiis petierunt, neu-

neutiquam furtum commiserunt, non enim vitium aut furtum est, quod fit jubente Deo supremo rerum omnium Domino. Unde à furti crimine Mosen & Israelitas absolvit Tertullianus, aliique veterum & recentiorum Ecclesiæ Doctorum. Addit Justinus: *quæ repetentes armis Ægyptii domum redire tempestatibus compulsi sunt.* Domum rediisse Ægyptios tempestatibus compulsos falsissimum est, neque enim domum reversi, sed ad unum omnes maris rubri undis submersi fuerunt ac deleti (Exod. XIV.) pœnas luentes suffocatorum in aquis puerulorum Israeliticorum.

QUÆSTIONES ALIQUOT SELECTÆ
De
Conviviis veterum Hebræorum.

Quæstio prima. Quænam ſint nomina Hebraica conviviorum? Reſp. Varia ſunt nomina, quibus Hebræi convivia deſignare ſolebant, & quorum quodlibet ferè peculiare quid in conviviis uſitatum reſpicit. Sic dicitur convivium משתה à שתה quod eſt bibere ſive potare cui affine admodum eſt Græcorum συμπόσιον compotatio. Neque enim ſine potu convivia agitantur. Semel atque iterum huic nomini additum reperimus nomen יין vinum, uti Eſther. 5. 6. & 7. 7. Vocatur quoque, convivium כרה 2. Reg. 6. 23. ויכרה להם כרה גדולה ויאכלו וישתו *Et apparavit eis convivium magnum & comederunt & biberunt.* Sic dictum eſt dubio procul ab emtione eorum, quæ ad id ſunt neceſſaria, Radix enim כרה emere, comparare quoque ſignificat. Neque enim ex dapibus duntaxat inemtis convivium paratur. Dicitur etiam לחם, quæ quidem vox proprie panem notat, & Synecdochice pro quovis cibo accipitur, ſed & pro convivio,

uti

uti liquet ex loco Daniel. 5. 1. עבד לחם רב *fecit* (Belsazer) *convivium magnum.* Nomen aliud est מסב à discumbendo ita dictum. Propriè enim hæc vox discubitum notat (à סבב accumbere, 1. Sam. 16. 11.) sed & convivium, ut Cantic. 1. 12. *dum esset Rex* במסבו *in convivio suo.* Nec omittenda est vox ארוחה, quæ quidem propriè significat viaticum seu commeatum viatorum in itinere, sed & convivium, veluti Proverb. 15. v. 7. טוב ארוחת ירק ואהבה שם משור אבוס ושנאה בו *Melius est convivium oleris ubi sit dilectio, quàm bovis signati, in quo sit odium.* Taceo nomina dubia, מרזח. טבח. זבח de quibus etsi Scripturæ loca possent afferri, alio tamen non minùs commodo significatu accipi possunt. Superest denique vox סעודה, quâ Rabbini utuntur à סעד sustentare, eo quòd convivium corporis vires sustentet atque roboret. *Quæstio secunda.* An veteribus Hebræis lotio manuum ante & post cibum quoque usitata fuerit? Resp. de hoc ne minima quidem est dubitatio. Quod attinet ad lotionem ante cibum, Marci VII. v. 3. dicitur, Pharisæos & Judæos omnes non comedere ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται nisi laverint manus πυγμῇ, quæ vocula quomodo reddenda sit, variæ fuerunt in-

 terpre-

terpretum ſententiæ. Quidam illam expo-nunt *pugno*, quòd poſtulet ſollicita manuum lotio, ut manus in pugnum contracta cavam manum fricet. Alii, ut Theophylactus, *μέχρι τοῦ ἀγκῶνος ad cubitum uſque*, alii crebrò, ſæpè, alii accuratè & diligenter. Nota quoque ſunt vetera Hebræorum effata: כל האוכל לחם בלא נטילת ידים כאלו בא על אשה זונה *Quicunque comedit panem ſine lotione manuum, perinde eſt ac ſi rem haberet cum ſcorto.* Item: כל המזלזל בנטילת ידים נעקר מן העולם *Quicunque vilipendit lotionem manuum, exſtirpatur è Mundo.* Lotionem manuum poſt cibum uſitatam pariter veteribus Hebræis fuiſſe, vel inde liquet, quod diſcrimen fecerint inter מים ראשונים *aquas priores* & אחרונים *aquas poſteriores*, h. e. ante & poſt cibum. In illis manus erant ſurſum elevandæ, in his verò demittendæ deorſum, quod ita efferunt. מים ראשונים צריך שיגביה ידיו למעלה מים אחרונים צריך שישפיל ידיו למטה *In aquis prioribus oportet manus attollere ſurſum, in poſterioribus verò demittere.* De lotione manuum ante cibum quæri poſſet, quî factum ſit, ut diſcipuli Chriſti illam intermiſerint (cùm tamen iidem Hebræi ex Hebræis fuerint,) prout hanc lotionis intermiſſionem Phariſæi in illis culpant, Matt.

XV.

XV. & Marc.VII. dicentes Domino Jesu: *Discipuli tui non lavant manus, cùm edunt panem.* Resp. Absit ut existimemus discipulos Christi adeò sordidos & à munditiè alienos fuisse, ut illotis manibus cibum caperent, verùm tamen quia Pharisæi hac in parte erant nimis superstitiosi, atque in hujusmodi ablutionibus aliisque Ritibus externis, pietatis sanctitatisque summam collocabant, discipuli, quando cum Pharisæis illis res erat, lotionem intermisere, vel ad exemplum Christi, Luc.XI.38. vel ad ejus mandatum, ut ansam caperet illorum hypocrisin & simulatam justitiam severe redarguendi, quippe quibus traditiones humanæ, corporis & suppellectilis mundities tantopere curæ erat, cùm interea præcepta Dei mentisque munditiem negligerent, animosque odio, livore, ambitione, avaritia simulatione inquinatos haberent. *Quæstio tertia.* An Lotio pedum fuerit ritus ordinarius à veteribus Hebræis in omnibus conviviis ante accubitum observatus? Resp. Multi eruditorum affirmant, quos inter Scaliger & Casaubonus, qui Exercit. VI. §. 22. ait: *vel pueris notum esse, morem fuisse Judæorum pedes ante accubitum lavandi.* Rectius alii negare mihi videntur, quoniam nec vola nec

vestigium hujus ritûs apparet in Scriptura aut libris Judæorum Ritualibus. Exemplum Christi lavantis pedes discipulorum, Johan. XIII. pro affirmante sententia non facit, ex vers. enim 4, & 5. evidens est, post cœnam demùm paschalem lavisse pedes. Itaque clarum est hanc Christi lotionem non fuisse ceremoniam aliquam ordinariam, sed factum extraordinarium, quo discipulis humilitatis exemplum præbere voluit. Nam aliâs inferior superiori, servus Domino aquam præbet ad lavandos pedes vel manus. Neque porrò affirmanti sententiæ favent verba Christi, Luc. 7. 44. ubi Christus recens Hierosolymam adveniens, Pharisæo, à quo cœna fuerat exceptus, exprobrat intermissionem lotionis pedum: *ingressus sum domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti*, Christus enim Pharisæo non hoc exprobrat, quod sibi discubituro aquam non dederit, sed quod sibi ex itinere recens Hierosolymam adventanti aquam ad pedes lavandos non porrexerit. Hæc enim pedum lotio utique apud veteres Hebræos viguit, ut scilicet peregrè adventantium pedes abluerent cum ad pulverem & lutum detergendum, (etenim non calceos uti nos, sed soleas gestabant plantam pedis solummodo

tegen-

tegentes, reliqua parte nudâ) tum ad lassitudinem tollendam, quod patet exemplo Abrahami Genes. 18. dicentis tribus viris qui ad eum diverterant, *sumetur jam parum aquæ & lavate pedes vestros*, Lothi Genes. 19. ad quem morem respicit quoque Paulus, 1. Tim. 5. 10. ubi agit de vidua, quæ *Sanctorum pedes abluit*. Neque est quòd obijciatur exemplum Pharisæi illius, Luc. XI. 28. qui cum D. Jesum ad cœnam invitasset, miratus est, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου *eum* (scilicet D. Jesum) *non prius ablutum fuisse ante prandium*. Nam βαπτίζεσθαι hîc notare potest, נטילת ידים *Lotionem manuum*, quam veteribus Hebræis usitatam fuisse in antecedentibus probatum dedimus. Verisimile autem est, demiratū esse Pharisæum, Christum accumbentem ad mensam lotum non fuisse, partim quòd lotio ante cibū usitata esset, partim quòd Christus recens ex magna hominum promiscuorum turba venerit, v. 29 unde ex Pharisæorum opinione im̃unditiem contraxerat, ac proinde lotione eguisse ipsi videbatur, quò spectat Marc. VII. 4. *Pharisæi à foro venientes nisi loti fuerint, non edunt*. *Quæstio quarta*: An veteres Hebræi mensis assederint, vel accubuerint. Resp. Hîc necessario distinguenda sunt tem-

 pora.

pora. Aliud enim eſt loqui de temporibus vetuſtiſſimis Hebræorum, aliud de temporibus inſecutis & ævo poſteriore. Veriſimile eſt Hebræos vetuſtiſſimos in pellibus vel gramine vel fœno jacentes cibum ſumſiſſe, tunc nimirum, cùm menſæ, ſcamna, ſedilia nondum inventa eſſent. Quò tamen trahere nollem, quòd Abrahamus tres viros, qui circa meridiem venerant, ſub arbore reclinare juſſerit, ut ſub umbra in gramine jacentes cibum caperent, ſiquidem hoc in æſtu meridiei ad illos refocillandos fieri potuerit. At deinceps tamen veteres Hebræos ad menſam ſedentes cibum ſumſiſſe, neque poſterioris ævi ritu in lectulis aut tricliniis accubuiſſe, evidenter patet ex Scripturæ teſtimoniis. Cùm Jacob olim patri cibum à matre attuliſſet, quò benedictionem impetraret, his eum verbis affatus eſt; שְׁבָה וְאָכְלָה מִצֵּידִי *ſede & comede de venatione mea*, Gen. 27. 19. De fratribus Joſephi in foveam projecti dicitur, Gen. 37. v. 25. וַיֵּשְׁבוּ לֶאֱכָל לֶחֶם *Et ſederunt ad comedendum panem*. Sic 1. Sam. 20. 5. David ad Jonathanem dicebat: *Ecce Calendæ ſunt cras & ſedendo ſedere ſoleo apud Regem ad veſcendum*. De duobus Prophetis in Bethel legitur, *quòd*

menſæ

mensæ assederint. 1. Reg. 13. 20. Salomonis Proverb. 23. 1. hæc est admonitio: *cùm sederis ut edas cum dominante considerando considera quod erit coram te.* Denique Jerem. XVI. 8. legere est: *Domum convivij ne ingrediaris, ut sedeas cum eis ad comedendum & bibendum.* Excipi forsan possit ad testimonia de sessione allata, videlicet verbum ישב, quod in illis occurrit, etiam usurpari de accubitu in lectis tricliniaribus, veluti in loco Ezech. 23. v. 41. ubi de muliere delicata & peccatrice: וישבת על מטה כבודה ושלחן ערוך לפניה *Et sedisti super lectum honorabilem, & mensa instructa est ante ipsum.* Cùm igitur de accubitu quoque in lectis tricliniaribus ישב usurpetur, è locis allatis sessionem ad mensam non tuto probari. Resp. Distinguendum est inter loca, in quibus verbum ישב occurrit absque mentione lecti, & inter illa in quibus occurrit conjunctum cum lecto, veluti in hoc Ezechielis loco, ubi dicitur hæc mulier sedisse in lecto, quia revera accumbentes in lectis tricliniaribus nihilominus aliquando sese erigebant & ex parte sedebant sive ob collocutionem sive alia de causa. In locis vero supra allatis verbum ישב de epulantibus occurrit absq; ulla lecti mentione, consequenter argumen-

tum ex illis pro ſeſſione ad menſam veteribus Hebræis aliquandiu uſitata firmo ſtat talo. Verùm ut aliquandiu veteribus Hebræis ſeſſio ad menſam uſitata fuit, ita poſteriori ævo ſeſſioni ſucceſſit accubitus Græcis quoque & Romanis uſitatus, ab Hebræis verbo סבב expreſſus uti 1.Sam.XVI. 11. à Græcis verbis ἀνακλίνειν ἀναπίπτειν, ἀνακεῖσθαι, quæ paſſim in Novo Teſtamento occurrunt. In cœnaculo ponebatur menſa & circa illam lecti tricliniares, quos Hebræi vocant חמטות ut 2.Reg.4.10. Singulis in lectis accumbebant convivæ reclinata ſuperiore corporis parte in cubitum ſiniſtrum, inferiore autem in longum porrecta & jacente. Hujusmodi accumbendi ritum Chriſto quoque & diſcipulis ejus uſitatum fuiſſe liquet ex Joh. XIII.23. *Erat autem quidam ex diſcipulis Jeſu recumbens in ſinu ipſius, nimirum is, quem diligebat Jeſus.* Si quis hîc quæreret, utrum veteres Hebræi hunc accumbendi morem à Romanis mutuati fuerint, reſpondemus paucis, quo minus hoc aſſeramus, obſtare loca Veteris Teſtamenti, è quibus patet, accubitum Hebræis cognitum & uſitatum fuiſſe diu antequam Romani illorum Domini facti eſſent. Id quidem concedi forſan poſſet, nonnulla Judæos à Romanis adoptaſſe, quæ

ad cir-

ad circumſtantias & apparatum ſpectant nitidiorem. *Quæſtio quinta.* Utrum in conviviis veterum Hebræorum menſæ communes, an ſingulæ vel peculiares uſitatæ fuerint? Reſp. Si Hebræis credimus, ſua cuiq; convivantium menſa peculiaris appoſita fuit. Ita in Toſephot ſive additionibus T. T. Berach. c. VI. היו להן שלחנות קטנים וכל אחד לפני עצמו אוכל על שלחנו *Habebant parvas menſas, & unusquiſque ſeorſim comedebat ſuper menſa ſua peculiari.* Eundem morem apud Germanos olim obtinuiſſe, Tacitus Author eſt de moribus Germanorum. *Lauti* (inquit) *cibum capiunt, ſeparatæ ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa.* De Romanis Petronius teſtatur, *ſuam convivantium cuique menſam fuiſſe aſſignatam.* De Græcis ex Homero idem obſervavit Athenæus Deipnoſoph. l. 1. Idem hodieque Chinenſibus in more poſitum eſſe, prodiderunt Scriptores illi, qui de hujus Gentis indole & vivendi modo latius egerunt. *Quæſtio Sexta.* Cujus generis cibariis veteres Hebræi in conviviis veſci ſoliti fuerint? Reſp. Veſcebantur pane, ut paſſim ex Sacris liquet, carne bubula, ovilla, vitulina, à porcina verò abſtinebant, veſcebantur variis leguminibus, quæ nonnulli deſignata cenſent, per מזון Genes.

 45. 23.

45.23. alii per זרועים Dan.1. 12. usi porrò sunt זערה hordeo פולים fabis עדשים lentibus. Sunt etiam alterius generis edulia, quæ comedebant, veluti עוגות placentæ דבש mel חמאה וחלב Lac & butyrum, item גבינה, שפות, חריצים casei. Vescebantur etiam arborum fructibus, cujusmodi sunt תאנה ficus vel recens vel in massam compressa aut compacta, quam voce דבלה quidam denotari censent; item ענבים uvæ vel succulentæ adhuc vel arefactæ quas צמוקים vocabant, cujusmodi ab Abigaele Davidi allatæ fuerunt, 1. Sam. 25. 18. *Quæstio Septima.* An in conviis veterum Hebræorum singulis convivis certæ cibi potusque portiones distributæ fuerint? Resp. affirmando. Alia sanè tum fuit convivandi ratio, cùm non pro nostri temporis more apponerentur cibi communes omnibus convivis; ita ut quisque sibi quas vellet particulas decerperet, sed unicuique portio sua (fortè à coquis vel Patribus familiâs) daretur, cujusmodi portiones Hebræi פתים, נתחים, משאות, מנות nuncuparunt. Exemplum hujus prisci moris convivalis nobis præbet Regium illud Davidis convivium, ubi singulis distributæ sunt suæ portiones panis, carnis & vini, 2. Sam. 6. 19. Sic postquam ElKana Deo obtulisset sacrificium, in epulo

quod consecutũ fuit. Penĩnæ uxori suæ, filiisq; & filiabus partes certas distribuit, Hañæ verò uxori suæ dilectissimæ dederat מנה אחת אפים ad verbum, *distributionẽ unam facierum* 1. Sam. 1.5. hoc est, partem exquisitam & maximè honorabilem, non *tristem*, uti ineptè reddidit Lutherus. Targum benè: חולק בחיר *partem selectam*. Syrus & Arabs *partem duplam* seu duplo majorem. Ita Genes. 43. Josephus singulis fratribus à mensa sua miserat, משאות seu ferculorum מנות *portiones*, ut exposuit Raschi, atque in signum tenerrimi affectus in portionibus dividendis effecit, ut pars Benjamini excederet reliquorum partes. Ad hunc morem allusisse servatorem nostrum, Luc. X. non ineptè censetur, cum his ad Mariam verbis uteretur: *Maria elegit* ἀγαθὴν μερίδα *bonam partem*. Martha quippe anxiè occupata fuerat in cibis parandis, quorum præcipuam & optimam partem Christo destinabat. Huic optimæ parti eleganter opponit illam partem, quam ipse docendo Mariæ impertiebatur, partem certè præstantissimam, non corpus sed animam pascentem. Ex eodem more deductæ videntur nonnullis usitatæ in Psalmis Phrases, veluti Psalm. XVI. יהוה מנת חלקי וכוסי *Jehova pars portionis*

meæ & calicis mei, quamvis aliis placuerit hæreditatis ſignificationem nomini חלקי tribuere. Cæterùm gentibus nonnullis hunc morem quoque uſitatum fuiſſe, ut ſingulis ſcilicet convivis ſuæ partes diſtribuerentur in ſingulis ſcutellis, multis evinci poſſet teſtimoniis. Et de Græcis quidem conſtat, hujus inter illos conſuetudinis non pauca apud Homerum extare veſtigia. Plutarchus item Problem. l. 2. quærit, *Laudabiliuſne fecerint Majores certis portionibus, an recentiores communibus dapibus victitantes*, quâ de re diſputat in utramque partem. Supponit itaq; veteris fuiſſe moris, ut certæ portiones unicuique in conviviis diſtribuerentur.

Quæſtio octava. An in conviviis veterum Hebræorum unctio quoq; uſitata fuerit? Reſp. Ungere caput fragranti oleo moris omnino fuiſſe videtur in conviviis Hebræorum lautioribus, ut convivas recrearent. Huc reſpicit Davidis allegoria Pſalmo XXIII. *Præparas coram me menſam è regione hoſtium meorum, impinguas oleo caput meum.* Idem liquet ex verbis Chriſti ad Simonem Phariſæum, Luc. VII. *oleo caput meum non unxiſti.* Matth. XXVI. in ædibus Simonis leproſi venerat ad D. Jeſum mulier quædam habens alabaſtrum unguenti gravis pretij & effuderat ſuper caput ipſius. Eruditiſſimus

Otho ita de hoc ritu: *Tandem usitatissimum erat, in epulis etiam sacris non solùm profanis, capiti alicujus præsentis oleum aromatibus conditum illinire.* Porrò sequentia affert ex H. Berachot: *Schola Schammæana dicit: oleum suave dextrâ tenet, & poculum vini sinistra. Recitat primùm benedictionem super oleo, & dein super poculo. Schola Hilleliana dicit, oleum tenet dextra, poculum sinistra. Benedicit super oleo suavi atque illinit capiti ministrantis. Si verò ministrans sit discipulus sapientis, illinit parieti, nam indecorum est discipulo sapientum olere aromata.* Cæterùm apud Græcos quoque & Romanos hunc morem obtinuisse ex Homero evidens est, ubi Telemachi ante convivium uncti mentionem facit, nec non ex Martialis Epigrammate in Fabullum: *Unguentum (fateor) bonum dedisti convivis here, sed nihil scidisti, res falsa est benè olere & esurire, qui non cænat & ungitur Fabulle, hic verè mihi mortuus videtur.* *Quæstio Nona.* An Musica quoque in conviviis veterum Hebræorum fuerit usitata? Resp. Euripides quidem ait, non in conviviis, sed in luctu potius Musicam esse adhibendam, eò quòd convivia satis ipsa per se læta sint, in luctu autem quærendum sit aliquid, quo minuatur dolor. Interea tamen Musicam inter epulandum plerisque

gentibus veluti Perſis, Romanis aliisve uſitatam fuiſſe conſtat. Siracides Cap. 32. 7. *Concentus Muſicorum in convivio compotatione læto eſt quaſi inſigne carbunculi in ornatu incluſum aureo.* Sanè apud veteres quoque Hebræos in illorum conviviis uſitatam fuiſſe patet vel ex Eſaj. V. 12. ubi taxatur abuſus Muſicæ in epulis luxurioſorum: *Eſt Cithara, Nebel, tympanum & tibia, & vinum in conviviis eorum: opus autem Jehovæ non reſpiciunt, nec opus manuum ejus vident,* à quo loco Eſajæ non abludit locus, Amos. c. 6. v. 4, 5, 6. Sed & Novum Teſtamentum Muſicæ convivalis exemplum ſuppeditat, Luc. XV. Quando enim Pater filium prodigum ad patrios lares & ad meliorem pariter mentem reverſum cœna excepit, filius ſenior rure rediens audierat *συμφωνίας* ſive concentus Muſicos. Maimonid. הלכות תעניות ſive Tractat. de Jejuniis cap. 5. ſcribit: נהגו כל ישראל לומר דברי תושבחות או שיר של הודאות לאל וביוצא בהן על היין fuiſſe ſcilicet olim omnibus Iſraelitis in more poſitum, ut hymnos laudativos aliasq; cantilenas in conviviis decantarent in honorem Dei. *Quæſtio Decima.* Utrum Jentacula apud veteres Hebræos in uſu fuerint? Reſp. Nihil ferè certi hîc ſtatui poteſt, quamvis veriſimilius ſit non fuiſſe

in uſu.

in usu. Neque tamen usque adeo solidum censeri queat pro negante sententia argumentum ex Actor. cap. secundo petitum, ubi Petrus à se cæterisque Apostolis ebrietatis notam amolitur, eò quòd esset hora tertia ante meridiem, quæ in nostris regionibus respondet horæ nonæ. Excipi enim potest, Petri verba de tempore festali duntaxat accipienda, illumque hoc voluisse, nullam hoc prorsus habere veri speciem, viros hosce tum ebrios fuisse, eò quòd ob festi Pentecostes Religionem ex gentis Judaicæ instituto ne quidem ante horam sextam quicquam cibi vel potûs degustari ipsis permissum sit, unde tamen nequaquam sequeretur, Tempore ordinario jentacula non fuisse usitata. Cæterùm pro jentaculis non magnoperè facit locus Esaj. 5. ubi vates exprobrat sui seculi hominibus compotationes mattutinas. Res enim ei erat non cum iis, qui secundum consuetudinem & regulas sobrietatis, sed intemperanter potius vivebant, atque intempestivas compotationes sectabantur. Neque porro pro iis facere videtur locus, Joh. 21. ubi narratur discipulos Christi manè post ingentem illam piscium capturam comedisse. Neque enim de jentaculo sed prandio potius hæc intelligenda,

id

id quod abundè probat verbum ἀρισάω, quippe quod & Luc.XI. & alibi hoc significatu occurrit. *Quæstio Undecima*, Utrum Prandia veteribus Hebræis quoque in usu fuerint? Resp. De cœnis nullum est dubium, sed de prandiis res non æquè certa quibusdam visa est. Ex jejuniis tamen probari posse videntur, quando videlicet à prandio omnique cibo abstinebant usque ad vesperam. Sic Judic. cap. XX. 26. dicitur, *& jejunarunt illo die usque ad vesperam*. 2. Sam. 1. jejunarunt usque ad vesperam, propter Saulem & Jonathanem, porrò 2. Sam. 3. 35. *Juravit David se ante solis occasum nihil gustaturum* qui postremus locus evidentissimè docet prandia fuisse usitata, erat enim meridies, cùm populus prandere voluit peractis Abneri exequiis. In Novo Testamento evidens omninò est inter ἄριστον & δεῖπνον *prandium & cœnam* distinctio, Luc. 14. 12. & Servator noster pransus est cum Pharisæo quodam Luc. XI. v. 37. *Quæstio Duodecima*. Quodnam fuerit apud veteres Hebræos prandii Tempus? Resp. Hoc colligi potest ex Genes. 43. 16. ubi Josephus mandavit domûs suæ præfecto ut fratres suos introduceret in domū, quò secum comederent seu panderēt בצהרים *in meridie*. Chaldæus vocem

בצהרים reddit בשרותא quod Jarchi exponit de סעודה ראשונה primo convivio circa meridiem ſumto. Bechai quoque in eum locum annotat, tempus quo principes edere ſolent, debere eſſe meridiem, quòd ſcilicet totum tempus, matutinum expediendis Reipublicæ negotiis impendere teneantur, Scripturam Sacram increpare eos, qui manè edunt, juxta illud Eccleſiaſtis, cap. X. 16. *Væ tibi terra, quando Rex tuus puer eſt, & Principes tui manè comedunt.* In novo Teſtamento Petrus circa horam ſextam, id eſt, circa meridiem eſuriens cibum capere volebat. Actor. X. 9.10. *Quæſtio Decima tertia.* An convivia Natalitia veteribus quoque Hebræis uſitata fuerint? Reſp. Convivia natalitia ea vocamus, quæ quis adornat eo die, quo lucem hanc primùm adſpexit. Ac Græcis quidem, Romanis, Perſis, ejusmodi convivia uſitata fuiſſe, non eſt cur inficias eamus, ſiquidem id non pauca authorum teſtimonia evincant, ſed de veteribus Hebræis res prorſus incerta eſt. Quod enim in hiſtoria Evangelica proditum eſt, Herodem natalitia ſua agentem, ſplendidum admodum epulum proceribus ſuis, Chiliarchis & primariis Galileæ apparaſſe, non plus docet, quàm Regibus Orientis hoc in more poſi-

tum fuisse. Neque huc facit epulum Natalitium Genes. 40. memoratum, quod Pharao Ægypti Rex die suo Natali servis suis exhibuit, fuit enim hoc epulum natalitium pagani hominis, non Judaica Hebræorum Religione imbuti, quod (uti rectissime colligit celeberrimus ISELIUS noster) *argumento nobis esse potest, profanam potius quandam consuetudinem hanc fuisse, quàm Judaicam. Quæstio decima quarta.* An apud veteres Hebræos usitata quoque fuerint convivia eo die, quâ Infantibus nomina fuerunt imposita? Resp. De Atheniensibus quidem Suidas hoc prodidit, sed de veteribus Hebræis res incerta est. Apud Athenienses decimo à partu die conveniebant amici & propinqui, & peracta re divina infantibus recens natis nomina imponebantur, prætereaque decimam hanc diem nominum impositioni dicatam lautissimo celebrare convivio soliti fuêre. In Scriptura Sacra equidem Exemplum non occurrit convivii in impositione nominis à veteribus Hebræis celebrati, nihilominus nonnullis valde verisimile videtur, hoc hilaritatis augendæ causâ factitatum fuisse. Unde eruditissimus ISELIUS: *Nulla equidem ejusmodi apud Hebræos quoque in ista ceremonia celebrati convivij, quod sciam, in sacris*

literis

literis expressa fit mentio, non est tamen dubitandum, quin hîc quoque majoris excitandæ lætitiæ causa adhiberi sint solita convivia. Quæstio decima quinta. An etiam convivia veteres Hebræi agitarint in ablactatione infantium? Resp. Suppetit hic nobis exemplum Abrahami, qui, cùm Isacus filius ejus ablactaretur, convivium apparavit, quod Moses conceptis verbis refert, Genes. 21. 8. ויגמל ויעש אברהם משתה גדול ביום הגמל את יצחק *Et ablactatus fuit fecitque Abraham convivium magnum die quo ablactatus fuit Isacus.* Huic convivio interfuisse Regem Gogum ejusque Proceres, nec non triginta duos Reges à Josua interfectos impudenter nugantur Judæi. Paulò tolerabilius Jarchius vocari, inquit, illud convivium גדול magnum שהיו שם גדולי הדור שם עבר אבימלך *eò quòd ei interfuerint magnates illius ævi Sem, Heber & Abimelech.* Augustinus quæst. 50. in Genesin inquirit in causam instructi hujus ab Abrahamo convivij tempore ablactati Isaci, verùm rem acu non tetigit. *Meritò quæritur* (inquit) *cur nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed quo ablactatus est, epulum fecerit? quod nisi ad aliquam spiritualem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est, tum scilicet esse debere ma-*

gnum spirituale ætatis, quando fuerit factus homo novus spiritualis, hoc est, non talis, qualibus dixit Apostolus, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis. Adhuc enim estis carnales. Verisimilius est, convivium illud ab Abrahamo agitatum fuisse pro recepto Cananæis, quibuscum versabatur, more, qui deinceps forsan ab Hebræis quoque adoptatus fuit, ut cum amicis DEO gratias agerent, quòd infantes eousque deducti essent, simulque pro ulteriore illorum incremento vota susciperent. Judæi hodie non ablactationis sed circumcisionis die convivium celebrant, atque obtorto collo huc rapiunt ex loco citato verba postrema ביום הגמל את יצחק *die illo quo ablactatus est Isacus.* Elisis enim in verbo הגמל literis ה & נ octonarium conficientibus numerum, hunc sensum reperiunt homines ingeniosi scilicet: *die quo circumcisus est.* *Quæstio Decima sexta.* An veteribus Hebræis usitata quoque fuerint convivia nuptialia? Resp. Primum convivium nuptiale de quo legimus, est illud, quod in nuptiis Jacobi celebratum est, Genes. 29. Ante diluvium memorantur quidem conjugia, sed nulla conviviorum fit mentio. Neque etiam post diluvium tale quid narra-

tur

tur vel de Abrahamo vel Isaco, verùm in Jacobi nuptiis tale convivium celebratum fuit. Et illo quidem ævo videtur moris fuisse, ut ejúsmodi convivia per septem dies celebrarentur. De his septem enim convivij diebus videntur intelligenda Labanis verba ad Jacobum de Lea. Genes. 29. 27. מלא שבוע זאת ונתנה לך גם את זאת *Comple hebdomadam hujus* (scil. Leæ) *& dabimus tibi quoque hanc* (Rahelem) hoc est, ne repudia Leam, sed confirma connubiumq́; & comple ordinarium septem dierum nuptialium numerum. Obsecutus quoque est Jacob Labani & complevit hebdomadam, quò Rachelem impetraret. Ita etiam de Simsone Judic. 14. 13. proditum est, quòd ejus convivium nuptiale per septem dies duraverit. In libro Tobiæ cap. XI. vers. ult. pariter dicitur, quòd nuptiæ hilariter agitatæ fuerint diebus septem. Seldenus in uxore Ebr. lib. 2. c. 11. distinguit, nempe epulum nuptiale per septem dies celebratum fuisse, ubi sponsa fuerit virgo: per triduum verò duntaxat, ubi vidua vel vitiata ducebatur. Addit ibidem: cui plures sponsæ simul fuerint deducendæ, eum singulis uxoribus singulas epulas per totidem dies celebrare debuisse, idque lætissimè & ita ut non solùm

ab omni labore cessaret, sed & ab omni alterius generis lætitia. Ex mente Judæorum hanc addit rationem: שאין מערבין שמחה בשמחה quoniam non commiscenda est lætitia cum lætitia. Buxtorfius in Synag. Jud. c. 39. docet, versos hodiernos imitari hac in re priscorum judæorum consuetudinem, adeoq; & horum nuptias integram durare septimanam, eò quòd Laban Jacobo dixerit: *imple septimanam hanc* & quòd de Simsone scriptum sit: *si indicaveritis illud septem diebus convivij*. Et ut Seldenus docuit in nuptiis viduæ epulum nuptiale apud veteres Hebræos triduum duntaxat durasse: ita Buxtorfius quoque scribit hodie inter Judæos nuptias cum vidua non tantam habere lætitiam & tres tantùm dies durare sive sponsus cælebs sive viduus fuerit, addit tamen postremum hoc non ab omnibus observari. Cæterum de veterum Hebræorum conviviis nuptialibus & hoc tenendum, in illis quoque aliquem munere Architriclini functum fuisse, quod liquet ex nuptiis Cananæis, quibus D. Jesus cum matre sua & discipulis suis interfuerat. Johan. 2. v. 8. 9. Ejusmodi Architriclinus nonnullis est συμποσιάρχης, cujus officium fuerit convivium dirigere, dapes prægustare, & convivis apponere. Celeberrimus Lightfootus verò aliter explicat. *Hunc ego* (inquit in

hunc locum) *intellexerim eum fuiſſe, qui inſtar Sacellani erat, & gratias egit, & benedictiones pronuntiavit in talibus conviviis haberi ſolitas.* *Erat* ברכת חתנים *Benedictio ſponſi recitata unoquoque die ſeptidui: & erant in tam continuata convivatione benedictiones aliæ, quæ poculum vini requirerent, (nam ſuper poculum vini eſt benedictum) & erat ſpeciatim* כוס הבשורה *poculum bonorum novorum ob ſigna virginitatis ſponſæ. Illum ergo, qui pro toto cœtu benedixit, architriclinum hic dici exiſtimo. Ac vinum jam ex aqua factum Chriſtus ad eum dirigit, utpote qui propinaret toti cœtui, benedictione aliqua ſuper poculum concepta, poculo ab eo epoto, & ſubinde toti menſæ communicato.*

Quæſtio Decima ſeptima. Quid ſtatuendum ſit de epulis ſacrificalibus? vel: an veteres Hebræi ſoliti fuerint reſiduam victimarum partem in uſum convivii convertere, & poſt ſacrificia inſtituere epula? Reſp. De hoc nequaquam dubitandum eſt. Diſerta lege poſt oblata pacifica hoc facere tenentur. Deuter. 27. v. 6. 7. ædificabis altare Domino Deo tuo & offeres ſuper illud holocauſta Domino Deo tuo, & ſacrificabis pacifica Domino Deo tuo ואכלת שם ושמחת לפני יהוה אלהיך, *comedesq; illic atque lætaberis coram Domino Deo tuo.* Quin & hiſtoria ſacra convi-

via sacrificiis eorum adjuncta non raro memorat, veluti 1.Sam.9.13. & alibi. Ab hoc epulandi more post victimas oblatas viri docti censent Agapas originem duxisse. Cæterum Ethnicis quoque hoc deinceps in usu fuit, ut epulum è residua sacrorum parte facerent, cui illorum ritui luculentum præbet testimonium locus, Judic.16.23. ubi Philistæi, postquam Simsonis oculos effodissent, congregari dicuntur, ut *magnum sacrificium offerrent Dagoni Deo suo & lætarentur*, hoc est, festum è residuorum partibus instituerent. Ita Hugo Grotius in Matth. Cap. XXVI. *Apud Græcos* (inquit) *aliasque gentes usurpabatur, ut qui victimas offerrent, de earum carne epularentur, ut passim apud Poëtas videre est.* In ejusmodi epulis, quas è sacrificii reliquiis adornabant, tam liberaliter sese invitabant ethnici & mero genioque adeo indulgebant, ut Diogenes (teste Laertio in ejus vita) eo nomine indignatus fuerit, homines θύειν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ὑγιείας, ἐν αὐτῇ δὲ θυσίᾳ κατὰ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν Diis sacrum facere pro sanitate, in ipso autem sacrificio contra sanitatem (ebrietate scilicet & luxu) epulari. *Quæstio Decima octava.* An Convivia funebria veteribus Hebræis quoque fuerint usitata? Resp. Græcis & Romanis

manis quidem epulas funebres in usu fuisse planè indubium est, quin & ab illis hunc ritum ad Christianos in primitiva Ecclesia manasse, nec paucis abusibus fœdatum fuisse ex Cypriano, Ambrosio & Augustino de civitate Dei constat. De veteribus Hebræis res non æquè clara est. Videntur quidem locis quibusdam Veteris Testamenti inesse vestigia quædam conviviorum funebrium, veluti Deut. 26. 14. 2. Sam. III. 35. Jerem. 16. 5. Ezech. 24. 14. Prov. 31. 6. Verùm & eadem non ferunt tantùm, sed penè poscunt alias expositiones, unde illis inniti nolim. Hoc tamen non tacendum est, quòd Josephus lib. 2. de bello Judaic. cap. 1. scribat, Archelaum Herodis filium septem dies Patris sui obitum luxisse & populo funebre epulum dedisse.

TMEMATUM MISCELLANEORUM,

EIKAΣ.

TMEMA I.

Postquam David Pſalm. CIV. creationis cœlorum mentionem feciſſet, continuò ſubijcit v. 4. עשה מלאכיו רוחות משרתיו אש להט *faciens angelos ſuos ſpiritus & Miniſtros ſuos ignem flammantem.* Sunt qui ordine verborum inverſo משרתיו & מלאכיו non pro ſubjectis ſed prædicatis, voces verò רוחות & אש להט pro ſubjectis accipiant, ac per hæc ventum & fulgura intelligant, quaſi mens Davidis hæc eſſet: Deum ventis & fulgure uti tanquam nuntiis & Miniſtris ſuis, per quos judicia ſua exequatur. Huc referunt illud Pſalm. 148. 8. *Ignis, grando, nix, vapor, ſpiritus procellæ facientes mandatum ejus.* Sed quanquam verum utique ſit, ventos & fulgura voluntatem Dei exequi, locus tamen Pſalm. 148. huic noſtro minimè parallelus eſt, quippe in quo non de ventis & fulgure, tanquam ſubjecto, ſed de Angelis ſermonem eſſe docet interpres divinus omni exceptione major, Paulus,

lus, qui ad hunc locum respiciens Hebr. 1. 7. scribit: *De Angelis dicit, qui Angelos suos facit ventos & Ministros suos ignis flammam.* Itaque in loco nostro secundum interpretationem Pauli subjectum sunt Angeli & Ministri, prædicata verò, quòd Deus eos faciat spiritus & ignem flammantem. Nunc igitur porrò quæstio est, quo sensu David dicat, Deum Angelos suos facere spiritus & ignem flammantem? HUGO GROTIUS in hunc locum ita commentatur: *Qui facis Angelos tuos spiritus & Ministros tuos ignem urentem, sunt enim* (inquit) *angelorum alii aerei, alii ignei.* Hoc sapit crassum Platonicorum errorem, qui angelis subtilissima attribuerunt corpora. Neque ex hoc loco aëream vel igneam angelorum essentiam magis exsculpere licet, quàm angelos habere essentiam bovinam, equinam, aut similem, eò quòd sub hujusmodi figuris quandoque repræsententur. Itaque cùm David primò edicit: Deum facere angelos suos רוחות vox רוחות vel potest reddi *ventos* hoc sensu: Deum facere angelos suos celeres ceu ventos, in quem sensum verba hæc quoque cepit Targumista Chaldæus, vel vox רוחות potest reddi *Spiritus*, ita ut sensus sit: facis aut fecisti in prima creatione angelos tuos

ſpiritus, hoc eſt, ut eſſent ſpirituales ſubſtantiæ, puræ ab omni corporis admiſtione. Quod ad alterum ignis flam̄antis prædicatum attinet, illud non eſſentiam angelorum reſpicit, ſed potius illorum ardentiſſimum amorem Dei & potentiam velocitatemque in exequendis Dei juſſis. Neque dicendum eſt, ſi vox ſpiritus ſumatur hoc loco de eſſentia angelorum, tunc quoque voces להט אש ita accipiendas, adeoque ſi angeli ſint ſpiritus propriè ſic dicti, erunt quoque ignis flammans propriè ſic dictus, ſicque eſſentia illorum erit partim ſpirituali s, partim corporea; Uti enim angelus duplici modo conſiderari poteſt ratione naturæ & officij; ita prius prædicatū, quando nempe dicuntur רוחות, reſpicit illorum naturam, poſterius verò reſpicit eorundem officium, nec de Angelis proprio ſed metaphorico ſenſu uſurpatur.

II.

EliaKimo Deus in Eſajæ prophetia Cap. XXII. 22. pollicetur ſe clavem domûs Davidis humeris ejus impoſiturum eſſe: ונתתי מפתח בית דוד על שכמו *Et dabo clavem domûs Davidis ſuper humerum ejus.* Quæri hîç non injuria poſſit, cur claves humeris im-

imponendæ dicantur, cùm tamen vulgò claves humeris portari non soleant, neque etiam ita formatæ sint, ut iis firmiter portari queant. Itaque priscis temporibus oportet claves aliter formatas, talesque fuisse, quæ humeris portari possent. Et sanè observarunt viri eruditi, quos inter HUETIUS, claves veterum fuisse incurvas instar falcis, manubriis eburneis sive ligneis instructas, quod liquere etiam censent ex Homeri Odyssea, ubi dicit Penelopem armarium quoddam aperire volentem, accepisse clavem cupream valdè curvam & eburneum habentem manubrium. Ejusmodi verò claves curvas cùm ob figuram manibus portare incommodum fuerit, humeris forsan portari consueverunt, quemadmodum hodieque videmus messores falces suas humeris portare.

III.

Verba 1. Reg. 19. v. 11, 12, 13. ubi dicitur Deus לא ברוח לא ברעש לא באש *non in vento, non in terræ motu, non in igne*, non necessarium est suplere verbo *est*, quasi sensus esset: Deum neque in vento, neque in terræ motu, neque in igne fuisse, quo modo quidem hæc verba vulgo redduntur, id quod

adversariis quibusdam ansam quoque dedit illis abutendi. Quin commodius explicantur per Ellipsin verbi מְדַבֵּר (*loquens*) hoc sensu: Deus in vento, in terræ motu, in igne non fuit (*loquens*,) quæ explicatio eo plausibilior est, quod versibus subsequentibus Deus ad aliud signum Eliam postea allocutus dicatur. Locus occurrit Hebr. XII. 25. ubi similis Ellipsis quadrat: *videte ne recusetis eum, qui loquitur, nam si illi non effugerunt, qui recusarunt divinitus admonentem in terra, multò magis nos, qui* τὸν ἀπ' ὀυρανῶν *eum qui de cœlis* (sc. loquitur) *aversamur*.

IV.

Phrasis Hebraica בקש נפש *quærere animam alicujus* non infrequens est in Veteris Testamenti tabulis. Et primo quidem id certum hanc phrasin plerumque in malam partem accipi pro insidias vitæ alicujus struere, ipsumque cupere de medio sublatum, quod aliâs efferri solet his phrasibus: *insidiari animæ alicujus*, ut Psalm. 59. 4. ארבו לנפשי *venari alicujus* animam, ut 1. Sam. 24. 12. אתה צודה את־נפשי. In malam partem sumitur phrasis quærere animam alicujus, Psalm. 38. 13. וינקשו מבקשי נפשי & *laqueos tetenderunt quærentes animam*

mam meam. Apertum enim Davidi hîc ſermonem eſſe de inimicis ſuis, quos continuo depingit his verbis: ודרשי רעתי & *quærentes malum meum.* Ita Pſal. 40. 15. מבקשי נפשי לספותה *quærentes animam meam ad perdendum eam.* Eodem prorſus ſenſu venire hanc Phraſin; Pſalm. 54. 5. Pſal. 70. 3. Pſal. 86. 14. Sermonis ſeries & argumentum arguit. His addi debet locus *E*xod. IV. verſu 19. quando Dominus ad Moſen dixit: מתו כל האנשים המבקשים את נפשך *Mortui ſunt omnes viri, qui quærebant animam tuam:* nec non locus 1. Reg. 19. v. 10. & 14. ubi inter varia Iſraelitarum delicta & hoc recenſet *E*lias: ויבקשו את נפשי לקחתה *Et quæſiverunt animam meam ut auferrent eam.* Tametſi vero plerumque in malam partem ſumatur hæc phraſis, eſt tamen cùm in bonam quoque partem ſumitur, veluti Prov. 29. 10. אנשי דמים ישנאו תם וישרים יבקשו נפשו *viri ſanguinolenti oderunt integrum, recti autem quærunt animam.* Hic enim *quærere animam* non ſignificare vitæ alicujus inſidiari, ſed potius intentum eſſe vitæ alicujus tuendæ & conſervandæ, patet ex Antitheſi, quam Salomon inſtituit inter homines ſanguinarios & rectos, quorum illi homines integros & pios odio habent eouſque non raro, ut de iis è medio tollendis cogitent. Hi vero eos

pro

pro virili tuentur, & propenſos ſeſe oſtendunt ad vitam illorum defendendam. Eodem ſenſu hæc phraſis ſumitur, Pſalm. 142. 5. אין לי מכיר אבד מנוס ממני אין דורש נפשׁ, *Non erat qui me agnoſceret, perierat effugium à me, nec erat, qui quæreret animam meam* (ſcilicet ut me eriperet)

V.

Davidem Pſalmo octavo mentem oculosque defixiſſe in meditatione & conſideratione rerum cœleſtium res ipſa clamat. Conſideraverat quoque cœlum lunam & ſtellas, ut liquet ex verſu 4. כי אראה שמיך מעשה אצבעתיך ירח וכוכבים אשר כוננתה׃ *Cùm video cœlos tuos opus digitorum tuorum lunam & ſtellas quæ præparaſti.* Quod ſi quis hæc non obiter expendat, fieri vix poteſt, quin ſecum miretur, quî factum ſit, quòd Pſaltes hîc nullam prorſus mentionem fecerit ſolis, lucidiſſimi illius pulcherrimi & nobiliſſimi omnium quotquot in firmamento conſpicua ſunt, luminarium? admiratione noſtra utique digna ſunt cœlum, luna & ſtellæ, in quorum conſideratione vehementer defixus erat David, ſed annon ſol ſupra Lunam reliquumque ſtellarum chorum eminet, adeoque majori admiratione dignus,

dignus, hujusne igitur oblivisci hîc Davidem, nullamque facere mentionem par erat? Itaque proclive est conijcere, Davidem in hisce contemplationibus versatum esse nocturnis forsan horis, adeo ut quoniam solis lumen tunc ante oculos ei non obversabatur, contentus fuerit ea duntaxat cœli luminaria nominasse, quæ oculis suis intuitus fuerat scil. lunam & stellas.

VI.

In civitatibus quibusdam moris est, collegiorum Magistros, qui tribunitia ferè potestate gaudent, *Decanos* vocare, pariterque in Ecclesiis quibusdam, reliquorum Pastorum, & in Academiis Facultatum (quas vocant) Præsides *Decani* audiunt. Sunt qui hoc nomen ab Hebræa voce זקן, senem notante, ortam putant. Ut enim (inquiunt) ab Hebræo זכר mutato ז in ד fit דכר, uti à זהב fit דהב, ita juxta eandem analogiam à זקן fit Chaldæum דקן, à quo nomen Decani, ita dicti ob præsidium & dignitatem. Sed hoc mihi non fit verisimile, eo quod Latini Decanum primitûs pro eo usurparint, qui Decuriæ militum præerat. Quid igitur apertius est, quàm à numero denario Decanum ita dictum esse? Aut igitur probandum

est vocem decem ab Hebræa aut Chaldæa דקן descendere (quod tamen nemo, opinor, citra absurditatem dixerit) aut fatendum est, vocem Decani Hebræis originem suam non debere.

VII.

Psalmo LXXIV. dicit David : אתה הכינות מאור ושמש *Tu præparasti Lumen & Solem.* Dubium hîc ferè est, quomodo reddenda hîc sit vox מאור. Nonnulli hîc intelligunt lumen seu lucem propriè sic dictam, hoc est, splendorem illum excellentem, quem Sol spargit, inque orbem universum diffundit, & quæ primo creationis die producta, quarto post die fuit indita globo solari, ut inde tanquam ex Scaturigine quadam communi & manali veluti fonte omnia collustrarentur. Verùmtamen censemus non malè מאור per *Lunam* reddi, quo modo etiam Targumista Chaldæus vertit סהרא *Lunam.* Nam cùm verbis præcedentibus (לך יום אף לך הליל *Tuus est Dies & tua etiam Nox*) egerit de vicissitudine diei & noctis, illiusque authorem Deum agnoverit, quid credibilius est quàm sequentibus verbis sermonem ei esse de duobus Lunæ & Solis luminaribus creatis *in dominium diei & noctis.*

noctis. Neque huic interpretationi obstat, quod Luna hîc primo loco & ante Solem memoretur contra ordinem naturalem & stylum Scripturæ. Notandum enim solenne esse Scripturæ primùm agere de iis, quorum in proximè præcedentibus facta fuerat mentio. Ex. gr. Josuæ cap. 24. 4. Deus dixit: *Dedi ipsi Isaaco Jacobum & Esau: tradidiq; ipsi Esau montem Seir, ut possideret eum, Jacob autem & filii ejus descenderunt in Ægyptum:* ubi videmus ex duobus nominibus propositis, Jacobi & Esavi, primo reassumi Esavi nomen, & post demùm Jacobi, eò quod nomen Esavi erat propius, quamvis aliàs Jacob juxta ordinem quo proposuit hæc nomina, præcedere debuisset. Eodem prorsus modo, cùm David nominasset, *diem & noctem,* post de luna prius differit, utpote quæ spectat ad noctem cujus vocabulum erat propius, & tum demum agit de Sole.

VIII.

Judæi non pauci Anno Christi MDCCXVII. Messiam exspectabant, nam Rabbi quidam Chaijm Berolini degens librum evulgaverat מראה הכתב, in quo Messiam eo año venturum esse prædixerat nixus loco Esajæ 60, 22. אני יהוה בעתה אחישנה *Ego Jehova in tempore suo accelerare faciam illud,*

ubi literæ vocis בעתרה efficiunt numerum tot annorum, quot illi tunc inde à condito orbe numerabant, ſcilicet 477, omiſſo ſcilicet pro conſuetudine judaica majore quinque mille annorum numero. Litera ב valet 2, litera ע 70, litera ת 400. & litera ה 5. Hi numeri ſi addantur, efficiunt quidem dictum annorum numerum, ſed niſi occæcatæ eſſent illorum mentes, vaniſſimis ejuſmodi computationibus & luſibus non niterentur, ſed agnoſcerent nobiſcum, jam dudum Meſſiam verum adventaſſe, neque alium præter eum præſtandum eſſe.

IX.

1.Sam.1.20. commemoratur, Hannam filio ſuo indidiſſe Samuelis nomen, quod Hebraicè ſonat שְׁמוּאֵל, circa cujus nominis etymon variant conjecturæ pleræque tamen non ſatis ad rem. Quidam volunt conflatum eſſe hoc nomen ex duobus nominibus corruptis & ex integro אל *Deus fortis*. Sed quænam ſint illa duo nomina corrupta non indicant, utrum שאל petiit & מן à, de, aut biſyllabum שמו *nomen ejus*. Alii deducunt hoc nomen â שום ponere, q.d. poſitum à Deo, mutato ש in ש. Alii à שמע audivit & אל Deus, dicentes literam ע eliſam

eſſe

esse in שמע, & ita accipiunt, quasi Hanna significare voluisset, se exauditam esse à Deo. Ne hîc extra oleas vagemur, tutissimum est animum advertere ad verba matris, quæ filio nomẽ indidit. Illa loco suprà citato in hunc modũ recensentur ותקרא שמו שמואל כי מיהוה שאלתיו *Et vocavit nomen ejus Samuel, quia à Domino illum petivi*, scil. *dixit*, quod per Ellipsin omissum. Hanna itaque ipsamet his verbis ad Etymon nos manuducit, dicendo se eum ita vocasse, quòd à Domino illum expetiverit. At verò cùm Radicem שאל (petere) nusquam reperiamus in nomine Samuel, vix aliter & verbis Hannæ conformius explicari poterit hoc nomen, quàm ita ut dicamus, primò מואל esse pro מֵאֵל à Deo sicut מאב est quasi מֵאָב à patre, secundò, ש initialem literam esse pro אשר *qui*, & tertio denique participium שאול petitum, postulatum subaudiendum esse. Non longè abeunt ab hac explicatione, qui dicunt in voce שמואל quæ plena esset שאולמאל *rogatus à Deo*, literas א, & elisas esse, מ jungi cum אל per Schurek, cùm analogicè ei jungi debuisset per Tsere.

X.

Quanquam celeberrimi BASNAGII

Historia Judaica opus sit multiplici eruditione refertum, lectuque dignissimum, negari tamen nequit, doctissimum authorem passim errores admisisse, è quibus nonnullos tantùm indicabimus. Lib. VII. c. 31. commemorat, diversis in locis Francofurti ad Mœnum Judæos depictos esse à Dæmonibus & porcis ludibrio habitos ad conflandum iis odium, cùm tamen in unico duntaxat loco ejusmodi pictura reperiatur, scilicet in turri quadam à ponte denominata. Eodem libro & capite male id, quòd Judæi exorto incendio aquam portare teneantur, in argumentum ignominiosæ servitutis trahit, cùm etiam Christianos hoc facere deceat, & charitas requirat, ut opem pro virili feramus. Lib. VII. c. 28. circa historiam VIETORIS ad judaismum prolapsi mirè hallucinatus est asserendo, Vietorem in animo habuisse cum *uxore sua* Marpurgum reverti, quam tamen clam deseruit, adque eam elapso multorum annorũ spatio reverti optavit. Lib. VII. c. 13. narrat Francofurti ad Mœnum Judæos etiamnum flavum in vestimentis circulum gestare, cùm certissimum sit, jam dudum hoc in desuetudinem venisse. cap. 19. Christianum quendam (scil. Paulum ab Eizen) asserere, se non vidisse

solùm

ſolùm Hamburgi Ahasverum Judæum in terris oberrantem, ſed & in quodam hujus urbis templo concionantem audiviſſe, cùm tamen Paulus ab Eizen nihil aliud dicat, niſi ſe vidiſſe Judæum hunc ſingulari reverentia & attentione concionem Hamburgi auſcultantem. Lib. VII. c. 31. ſcribit Hamburgi fuiſſe Rabbinum doctiſſimum nomine Ezardum vel Eſdram, qui poſtquam Chriſtianam religionem amplexus fuerat, complures fratrum ſuorum converterit. Falſa omnia. Confundit enim inter ſe prænomen & familiæ nomen. Is, quo de Sermo ei eſt, vocatus fuit Esdras Ezardus, neque fuit Judæus converſus, ſed Chriſtianus, Patre Jodoco Ezardo, paſtore Hamburgenſi prognatus, qui multum ſtudij ad convertendos Judæos adhibuit. Ibidem mentionem facit Judæi cujusdam converſi dicti *Schlangenbach* & Rabbini *Samuelis Zui*. Verùm Judæus converſus, cujus hiſtoriam attingere volebat, fuit Samuel Fridericus Brenz, ejusque Antagoniſta Rabbi Salman Zevi. Brenzius poſt converſionem librum A. 1614. edidit hac inſcriptione: *Exuviæ Judæorum anguinæ detractæ*, cui Rabbi Salman Zevi An. 1615. oppoſuit *Theriacam Judaicam*. Utrumque Scriptum Wulferus latinè redditum

tum & animadverſionibus illuſtratum, denuo excudi curavit.

XI.

Quoniam Hiram Rex Tyri Salomoni donaverat ligna cedrina & abiegna cum ingenti ſumma auri, hinc Salomon in grati animi ſignum Hiramo viciſſim עשרים עיר בארץ הגליל *viginti civitates Galilææ* dono dederat, quæ verò ei non placuiſſe dicuntur; 1. Reg. 9. 11. ויצא חירם לראות את הערים ולא ישרו בעיניו *& egreſſus eſt Hiram ut videret urbes & non rectæ fuerunt in oculis ejus.* Recepta interpretum ſententia eſt, reverâ Hiramo urbes à Salomone datas diſplicuiſſe, variasque comminiſcuntur cauſas ob quas Hiramo diſplicuerint. Quidam conijciunt eas nimis viles fuiſſe & exiguas, alii ſitas fuiſſe in loco nimis ſterili & aſpero, ideoque Hiramum ad *indignationem quandam declarandam*, illis nomen כבול indidiſſe. Verùm videtur potiùs Hiramo diſplicuiſſe actus donantis, non ipſum munus. Ipſæ urbes ſatis amplum viſæ ſunt munus Hiramo, imò forſan nimis amplum & longè majus, quàm quod amicus ad omnia officia paratus ab amico expectaret, adeò ut ſenſus verborum, *& non rectæ fuerunt*

runt

runt in oculis ejus possit esse, displicuisse ei urbes eò nomine, quòd pretiosũ nimis fuerint redhostimentum ab Hiramo non exspectatum aut expetitum. Porrò Hirami verba מה הערים האלה אשר נתתה לי אחי *quid sibi volunt urbes istæ, quas dedisti mihi Frater mi?* hæc, inquã, verba nequaquã verba sunt aspernantis & dedignantis donum, sed recusantis donũ nimis magnificũ, quæ non ἀπόπως conferre possis cũ verbis Esavi repudiantis donum fratris Jacobi Genes. 33.8. יש לי רב אחי יהי לך אשר לך *mihi multum est mi frater, sit tibi* (serva tibi) *quod tuum est.* Quamobrem etiam Hiramus (ut disertè traditum est initio capitis octavi lib. 2. Chronicor.) Salomoni hasce urbes reddidit, quas ille magnis sumtibus postea restauratas Israelitis assignavit, quod, si tam viles fuissent, nequaquam fecisset. Quod ad nomenclationem harum urbium attinet (כבול) non necesse est statuere ab Hiramo illam profectam esse, potuit enim ab aliis esse, cùm ויקרא accipi quoque possit sensu passivo. Tametsi verò concedatur Hiramum hoc nomen illis imposuisse, certè cùm munus non vile nimis, sed contrà nimis amplum ei visum fuerit, inde prono alveo fluit, quod non ad indignationem quandam declarandam hoc fecerit, sed potius

P

tiùs hoc nomine respexerit terminum & fines Tyriorum, in quibus urbes istæ fuerant (uti liquet ex Josuæ c. 19. 27.) acsi esset בול permutatis literis כ & ג. Vel etiam dici queat, terram כבול sic dictum esse à voce כבל *compes*, quòd ea terra quasi indissolubili amicitiæ compede seu vinculo ambo hi Reges Salomon & Hiram sese mutuò obstrinxerint, Salomon dando, Hiramus verò restituendo.

XII.

Celeberrimus Theologus Petrus MOLINÆUS in vate suo Ambrosium quoque retulit in censum eorum, qui Melchisedecum pro filio Dei habuère. Sunt autem hæc Ambrosii verba in libr. de iis, qui initiantur mysteriis, c. 8. *Non Abraham protulit, sed Melchisedek, qui inducitur sine Patre sine Matre, neque initium dierum, neque vitæ finem habens, similis autem filio Dei, de quo ait Paulus ad Hebræos, quia manet Sacerdos in perpetuum, qui interpretatione latina dicitur Rex Justitiæ, Rex pacis. Non agnoscis quis iste sit? Potest homo esse Rex Justitiæ, cùm vix justus sit? potest esse Rex pacis, cùm vix possit esse pacificus? sine matre secundum divinitatem, quia ex Patre Deo genitus est, unius substantiæ cum Patre: sine*

Patre

Patre ſecundùm incarnationem, quia natus ex virgine eſt. Verùm quicunque locum Ambroſii evolverit, nullo negotio deprehendet, Ambroſium nihil aliud velle, quàm Melchiſedekum Chriſtum figuraſſe, quòd ea de Melchiſedeco prædicentur, quæ, ſi in ſe conſideretur, ipſi minimè competant. Et ita quidem Ambroſius quoque intelligendus, quando libr. I. de Abrahahamo Patriarcha, cap. 3. ſimili modo de Melchiſedeco loquitur. Præterea quid evidentius eſt illis Ambroſii verbis, quæ legere eſt libro tertio de fide ad Gratianum cap. 5. *illum Melchiſedec in Chriſti typo Sacerdotem Dei accipimus. Sed illum in typo, hunc in veritate, typus autem umbra eſt veritatis. Illum in nomine unius civitatis, hunc Regem in reconciliationem totius Mundi.* Quod ſi hæc accuratius perpendiſſet Vir Cl. Nicol. ZAFFIUS Profeſſ. Curienſ. dubio procul hallucinationem Molinæi publicè defendendam non ſuſcepiſſet. Cæterum Cel. Molinæus in Tractatu Gallico de Melchiſedeco eximio quoque Theologo, C. Drelincourtio eandem, quam Ambroſio attribuit ſententiam, ſed lubrico rurſus fundamento nixus, ſcilicet quòd Drelincourtius in examine libri Domini de Bellay Sect. 10. § 24. ſcripſerit *Jeſum Chriſtum eſſe verum*

Melchisedecum. Profectò enim nisi quid aliud scripserit, quàm quod allegat Molinæus, non liquet quâ ratone eum in partes suas pertrahere queat. Quid enim sibi volunt hæc verba, nisi Christum illum esse, quem adumbraverit Melchisedecus, & in quem omnia illa quadrent, quæ Melchisedeco illi Salemensi typicè tantummodo tribuantur.

XIII.

De sensu petitionis Eliæ 2. Reg. 2. 9. ויהי נא פי שנים ברוחך אלי discrepant mirum in modum Interpretes Hebræorum & Christianorum. Sunt inter Kabbalistas qui ridiculam planè proferunt expositionem. Præsupponunt scilicet Eliam esse Phineam, cumque Phineas occidisset Simri, ipsius Phineæ animam præ timore evolasse, inque ejus locum in eum ingressas esse duas animas Nadabi & Abihu, adeoque Phineam respectu sui ipsius fuisse filium Eleazaris, respectu animarum suarum filium Aaronis. Dicunt igitur, petere Eliseum, ut hæ duæ animæ, quæ hactenus fuerant in Elia, nunc in semet intrent, ideò cumprimis, quòd vocula נא per ר״ת notet Nadab & Abihu, sive quod vocula נא in se contineat li-

teras

teras initiales utriusque nominis Nadab & Abihu, quas nugas recitasse est refutasse. Non multò meliùs sese habet Abarbanelis sententia, qui פִּי in propria significatione accipit & per *os* explicat, quasi petiverit Elisa, ut Elias post raptum suum, dulcem illam consuetudinem & jucunda colloquia, quæ in hisce terris inter eos vigebant, continuare velit qs. d. *sit nunc* (post assumtionem tuam) *os duorum nostrorum* (qui hactenus coràm inter nos collocuti sumus) *per spiritum tuum ad me*, veniat spiritus tuus, ut mecum colloquatur vel in somniis vel in visione. Alii ex Hebræis, quos inter Aben-Esra, & Christianis censent, Elisæum petere duplicem spiritum Eliæ, sive portionem duplo majorem eâ, quam habuerit Elias, eventumque respondisse probant inde, quod Elisæus plura patraverit miracula quam Elias, Eliam enim VIII. duntaxat, Elisæum verò sedecim patrasse miracula. Verùm nec hæc sententia se valdè probat, quia Elisæus hanc petitionem citra impudentiæ & superbiæ notam vix facere potuisset, si præ tanto Magistro primatum appetiisset, dicente ipso Christo: *sufficiat discipulo ut sit sicut Doctor ipsius*. Matth. X. 25. Deinde quia nec eventus respondit, nam quod

de numero miraculorum proferunt, coactus ille est & alii aliter ea dinumerant. Contrarium vel inde patet, quod Elias cum Johanne Baptista ita conferatur, ut major non habeatur, qui cum eo conferri potuisset. Adde, quòd de prophetæ præcellentia ex miraculis non sit judicandum. Johannes Baptista certè fuit omnibus ipsum antegressis major, neque tamen edidit miraculum. Alii statuunt Elisam non ambivisse majorem spiritus mensuram, quàm Elias habuerit, sed majorem, quàm reliqui prophetarum filii habuerint, ut ipse quasi primogenitus frueretur duplici hæreditatis parte (ex Deut. 21, ubi eadem phrasis occurrit) adeò ut portio illa duorum intelligenda sit non relatè ad Eliam, sive non in collatione cum Elia sed in collatione cum reliquis prophetis, perinde enim esse, quasi dixisset: quia primogenitus sum inter discipulos tuos, primus quem in scholam & disciplinam tuam recepisti, peto portionem duplicem sive duplo majorem vim spiritus tui seu donorum, quàm reliqui habebunt condiscipuli. Quamvis veró hæc sententia non sit valdè absona, simplicius tamen videntur verba capi in hunc sensum, ut portio duplex referatur non præcisè ad

id

id quod petiit Elisa, sed ad id quod habuit Elias; scilicet: *Sit quæso portio duorum, quæ est in spiritu tuo, ad me*; hoc est, quandoquidem corporibus jam sumus disjungendi; unicè hoc in votis habeo, ut spiritus ille propheticus, quo tu duplo alios præcellis, mihi obtingat & super me quiescat. Secundum hanc versionem & expositionem nil petiit Elisa, quàm quod Elias habuit, vel non petiit duplum ejus quod habuit Elias seu duplo majus; sed petiit duplum illud, quod habuit Elias. Hæc explicatio optimè congruit cum phrasi Hebræa. Imo vix dubitandum, quin eadē planè fuerit mens LXX. Interpp. quando hæc verba ita reddidêre: γενηθήτω δὴ διπλᾶ ἐν πνεύματι σου ἐπ' ἐμέ.

XIV.

Propheta Habakuk in oratione sua, quæ extat in ejus prophetia cap. 3. inter alia hæc habet, חייהו בקרב שנים *in medio annorum vivifica illud.* LXX. Interpretes hæc verba reddidêre: ἐν μέσω δύο ζώων γνωσθήσῃ *in medio duorum animalium agnosceris.* Ex hac septuaginta interpretum versione conjuncta cum versu 3. Esaj. 1. (*cognovit Bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui*) enata est quorundam opinio, Dominum Jesum recens natum in præsepi cubuisse juxta bovem & asinum, unde post cantiuncula

exorta

exorta est ecclesiastica: *Cognovit Bos & Asinus, quòd puer erat Dominus.* Sed quis non agnoscit erroneam esse LXX. interpretum versionem hincque adeo fulcrum esse ruinosum & infirmum, quo opinio ista nititur. In Hebraico textu Prophetæ non est: *in medio duorum animalium agnoscéris*, sed, *in medio annorum vivifica illud*; scilicet פעל *opus* tuum, quæ vox immediatè præcedit. Per opus autem Dei Propheta hîc intelligit *Israëlem:* ut Esaj.45.11. Petit a Deo ut vivificet id opus, id est, ut in vita conservet, quo sensu hoc verbũ quoq; venit aliquoties, quod quidem aliâs notat vitæ restituere. Per annos autem hîc intelligit annos captivitatis. Nil ergo hîc de bove & asino. Neq; etiam quicquam huc faciunt Esajæ verba: ירע שור קנהו וחמור אבוס בעליו *Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui.* Propheta enim Judæorum scelus & prævaricationem exaggeraturus dicere vult bovem & asinum, utut sint animantia rudia, tamen dominum suum agnoscere, his itaque ferè pejores esse Judæos, quippe qui Deum & Dominum suum agnoscere noluerint, qui tamen eximiè se illis patefecerat. Adde quod hac de re altum quoq; sit apud Lucam silentium, qui aliâs nativitatem Christi accuratè descripsit.

XV.

XV.

Judam proditorem Domini Iſcariotem cognominatum nonnulli cenſent à nomine שקורטיא quod *ſcorteum* ſive præcinctorium coriaceum à coriariis geſtari ſolitum notat, conijcientes Judam fortaſſis, antequam cooptatus eſſet in collegium Apoſtolorum, opificium coriarii exercuiſſe, quam conjecturam inde probabilem reddi cenſent, quòd Actor. IX. mentio fiat Simonis cujusdam coriarij, Joh. XII. verò Judas dicatur fuiſſe filius Simonis. Alii deducunt hoc nomen ab אסכרא voce *ſtrangulationem* ſignificante, quamvis non deſint, qui eandem vocem interpretentur *Marſupium*, eo quod Judas marſupium habuerit à Syriaco סכר claudere, quod eſt ab Hebræo סגר literis homogeneis ג & כ inter ſe permutatis. Celeberrimo Relando (qui doctiſſimis ſuis lucubrationibus rempublicam literariam beavit & in cujus præmaturo obitu immanem fecit jacturam) nihil videtur probabilius, quam nomen hoc conflatum eſſe ex איש vir & קריות, quod nomen urbis eſt, cujus mentio facta Jerem. 48. 41. & Amos 2-2, adeo ut Judas Iſcariotes ſit vir oriundus ex urbe Karioth. Exi-

ſtimat ille non parùm hoc firmari teſtimonio Bezæ ſcribentis in vetuſtiſſimo codice ſuo manu exarato ubique apud Johannem legi ἀπὸ Καρυώτου, *ex Carioth* pro vulgata lectione Ἰσκαριώθ. Niſi hoc obſtaret, forte non omninò temnenda eſſet obſervatio oppidò ingenioſa eruditiſſimi HILLERI conijcientis Iſcariotem ſignificare איש בריות *Virum emtionum* (à כרה quod aliquando etiam eſt emere) eò quòd Judas ad res coëmendas pecuniam portaverit.

XVI.

Poſtquam Zippora Moſis uxor filium ſuum circumcidiſſet, cultroque acuto præputium ejus amputaſſet, continuò dixit: חתן דמים אתה לי *Sponſus ſanguinum es mihi.* Exod IV. 25. quam προσφώνησιν plerique ad Moſen referunt, quaſi videlicet uxor ei dicere voluiſſet, ſe eum quaſi ſponſum denuò acquirere & effuſo filii ſui ſanguine redimere coactam fuiſſe. Sed vix probabile eſt, Zipporam Moſen, cùm jam duorum ex eo filiorum mater eſſet, חתן *Sponſum* vocaturam fuiſſe, quippe quòd maritus nonniſi ſtatim à nuptiis ita vocari conſueverit. Quare hæc verba forſan non ad Moſen ſed ad infantem recens circumciſum referenda ſunt.

præsertim quòd moris olim fuerit filium recens circumcisum à mulieribus חתן sponsum appellari. Unde AbenEsra scribit: מנהג הנשים לקרוא לבן כאשר יומל חתן *Solent mulieres filium, cùm circumciditur, sponsum appellare.* Et Kimchi in libro Radicum: כמו שהיו קוראים לאדם ביום חופתו חתן כן היו קוראים לתינוק ביום חמולו חתן *Sicuti vocabant aliquem in die nuptiarum suarum sponsum: ita etiam lactentem in die circumcisionis apellabant sponsum.*

XVII.

Verba Psalm XVI. 2. טובתי בל עליך vel in hunc sensum hactenus ab Interpretibus reddita fuêre, *bonorum meorum non eges;* uti à LXX. interp. & vulgat. vel *bonum meum non ad Te* (scil. pertingit) nullam tibi utilitatem affert. Verùm dubitare quis possit, utrum mentem Davidis assecuti fuerint. Præterquam enim, quod versiones hæ à verbis Hebræis nimis recedant, non videntur cum præcedentibus congruere. Nam cùm paulo ante David confiteatur se in solo Deo fiduciam collocare, vix liquet, quomodo à fiduciæ hujus professione ad bona quibus non indigeat, aut quæ ei sint inutilia, transitus fiat. Quamobrem aptior fortè sit expli-

catio, quæ fiduciam in Deum collocatam etiam in his verbis טובתי בל עליך continuet vertendo: *Delectatio mea non est extra vel præter Te*, hoc est, ego nullà re solidè delector, quæ extra Te est. Neque verba Davidis respuunt hanc versionem. Quod enim טובתי delectationis quoque significatum contineat, indubium est. LXX. Interpp. vocem טוב frequenter vertunt per χαίρειν gaudere, ut Genes. 45.16. Jud. 16.26. Porro particula בל negationis significationem ubique obtinet. Circa particulam על hæsitare quis possit. Sed & illa non uno in loco valet *præter* vel *extra*. In primo præcepto dicit Deus: *Non sint* Tibi Dii alii על פני præter vel *extra me*. Eodem modo legimus Genes. 31.15. *aut* si acceperis uxores על בנותי *præter filias meas*. Integer ergo sensus versus hujus secundi hic erit: *Tu ô anima mea dixisti ad Dominum, Tu es Dominus meus, mea Delectatio non est præter vel extra Te, hoc est, ego Te solo Domino meo delector.*

XVIII.

Qui opinantur ignotum veteribus Hebræis fuisse morem loquendi in tertia persona cum honoratioribus & recentiori demùm ævo exortum, non parùm falluntur. Neque

Neque enim desunt in Veteri Testamento ejusmodi Locutionum exempla. Genes. XXVII. v. 31. *Esau* Patri suo dicit: יקום אבי ויאכל מציד בנו *surgat pater meus & comedat de venatione filii sui.* 2. Sam. 14. 11. Thekoitis à Joabo ad Absalonem Davidi reconciliandum subornata Regem hunc in modum affata est: יזכר נא המלך את יהוה אלהיך *Recordetur quæso Rex Domini Dei sui.* 1. Sam. 19. 4. Jonathan dixit ad Saulem Patrem suum: אל יחטא המלך בעבדו בדוד *Ne peccet Rex contra servum suum Davidem.* Pari modo apud Danielem cap. 2. 7. Chaldæi Regem in tertia persona compellant, dicendo: מלכא חלמא יאמר לעבדוהי *Rex somnium dicat servis suis.*

XIX.

כרם היה לידידי בקרן בן שמן *Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei.* Ita initium habet capitis quinti Esajæ. Dicit vineam fuisse dilecto *in cornu*, deinde hoc cornu vocat *filium olei.* Cornu denotat locum excelsum, *filius olei* vero pinguedinem, hoc est, feracitatem hujus montis. LXX. Interpp. reddiderunt בקרן ἐν κέρατι, Thargum vero Jonathanis ita, ut simul explicet quid sit cornu & quid sit *filius olei.* Reddidit

 enim

enim בטור רם בארעא שמינא *In monte excelso in terra pingui.* Cæterùm elegans admodum hîc est paranomasia in vocibus קרן כרם. Amat enim Lingua sancta ejusmodi paranomasias, in quibus maximè excellit Esajas. Specimina alia suppeditat hoc ipsum caput quintum, veluti versu 7. ויקו למשפט והנה משפח לצדקה והנה צעקה *Et exspectavit* (Deus) *Judicium & ecce pertinacia: Justitiam & ecce clamor.* Primo est משפט & משפח deinde צדקה & צעקה. Capite XII. 2. hoc habetur: אבטח ולא אפחד *Confidam & non pavebo.* אפחד & אבטח Cap. LIV. 8. בשצף קצף *in modico fervoris.* Cap. LXI. 3. לתת להם פאר תחת אפר *ad dandum ipsis gloriam pro cinere.* פאר & אפר.

XX.

Senecæ illud *nullum ferò magnum ingenium sine mixtura dementiæ* persæpè exemplo suo firmant homines cætera eruditi ad opinionum intolerandarum portenta prolapsi, quibus non immerito annumeramus Jacobum Gaffarellum natione Gallum, qui in libro curiositatum inauditarum Gallicè primùm edito statuit, stellas omnes in coelo literas potiùs Hebraicas, quàm figuras à Mathematicis iis affictas conficere, hominesque

nesque perspicaces facilè futura omnia ex illarum coagmentatione in voces prædicere posse. Nixus est cùmprimis loco Esaj. 34. 4. ubi vates infit : ונגלו כספר השמים *& convolventur cœli instar libri*. Animadvertere vero debuisset Gaffarellus, tertium comparationis sive cœlum hoc in loco cum volumine conferri non respectu scriptionis seu quasi literæ ei inscriptæ essent, sed respectu convolutionis seu complicationis. Omnino enim hæc phraseologia respicit morem Hebræorū, juxta quem libros seu volumina convolvebant, quippe non ex multis paginis compacta, sed una pagina benè longa constantia, quæ circa lignum veluti circa axem telæ instar convolvebatur. Quod attinet ad tempus, quo cœlum hac ratione convolvetur, conjectura quorundam fert, contineri hîc descriptionem ultimæ πανολεθρίας. Putidum cætera est, quod Gaffarellus pertendat Caph in voce כספר vertendū esse sensu causali, *convolventur cœli, quia liber sunt*. Nam primo Caph similitudinis nomini inseparabiliter conjunctum nunquam causaliter usurpatur, deinde etiamsi ita verteretur, metaphoricè & impropriè hoc accipiendum esset non minùs quàm verba Davidis cœlis loquelam

ad-

adſcribentis. Hinc porrò reſponſum non meretur, quòd teſte Rabbi Chomer ſcribat, Meduſam ſive ſtellas aſtrum hoc componentes Græciæ ideò tanta mala prænuntiaſſe, quòd quinque earundem verticales longo ſatis tempore (in imaginario ſcil. & conficto Alphabeto cœleſti) confecerint verbum חרב vaſtari. Pro certo conſtat ineptiſſimam hanc Gaffarelli ſententiam acri Sorbonæ Pariſienſis cenſura notatam, ejusque defenſorem ad palinodiam canendam, tandem coactum fuiſſe. Nil addimus, niſi Gaffarellum in ejuſmodi ineptiis & opinionum portentis præeuntem habuiſſe Guil. Poſtellum, virum alioqui non incelebrem, illum ipſummet nempe, qui publico ſcripto, cui titulum fecit *de Virgine Veneta*, cujuſque exemplar in Bibliotheca noſtra Academica aſſervatur, tradere neutiquam veritus eſt, Dominum Jeſum ſecunda vice in terras venturum atque in hoc ſecundo adventu virginem quandam religioſam ſive Monialem Venetiis ſibi viſam cognitamque, muliebris ſexûs redemtricem fore, quemadmodum Dn. JEſus virilem redemerit.

DIS-

DISSERTATIO
De
PYTHAGORA PLATONE & ARISTOTELE.

CUm propositum mihi sit hac Dissertatione agere de triga celebrium veteris ævi philosophorum *Pythagora*, scilicet *Platone* & *Aristotele*, merito, si vetustatis ratio sit habenda, à Philosopho Samio Pythagora initium facimus, qui habitus est pro magno, ingenio & sapientiâ præstantissimo viro. Hunc ipsum Tullius *locupletissimum Authorem* vocavit, & Flavius Josephus *c. App.* 1. scribere non dubitavit: *eum sapientia & pietate erga Deum, omnes, qui unquam philosophati sunt, excedere, novisse etium Judæorum instituta & in multis ea secutum & æmulatum esse.* Addit: Hermippum in vita ejus prodidisse, *multa à Judæis in philosophiam suam transtulisse.* Quod verò Clemens tradiderit Judaico ritu *circumcisum & recutitum fuisse*, fidem vix meretur. Neque, ut hoc credamus, movet nos quod testibus Laertio & Jamblicho *Barbarorum & Græcorum mysteriis initiatus fuerit.* Doctorem Pythagoras habuit inter alios

Pherecydem Syrum & juvenis adhuc tantam consecutus est eruditionem, ut ab ætate multo provectioribus omni honoris cultu afficeretur, atque quotiescunque loqueretur, omnium in se oculos converteret. Ipse Thales Milesius vir singulari sapientiæ laude inclytus, cùm Pythagoras exorta Polycratis Tyrannide ad eum profectus esset, prono admodum animo eum excepit, ejusque supra reliquos Juvenes eminentiam admirari satis non potuit. Mirum est quòd Apulejus 2. *Florid.* de eo scriptum reliquerit, eum *Epimenidem Cretensem inclytum fatiloquum & Platonem disciplinæ gratiâ sectatum esse*, cùm constet Platonem longe eo posteriorem fuisse. Quamobrem conjectura non improbabilis est legendum esse non *Platonem*, sed *Piatorem*, ita ut mens Apuleij sit Epimenidem à duplici notâ describere, quòd nempe fuerit *fatiloquus & piator*, cujusmodi *piatores* olim res hominesque purgabant lustrabantque, quod munus obiisse imò instituisse Epimenides ille traditur. Astronomiæ, Geometriæ, Arithmeticæ & Musicæ adeo peritus fuerat Pythagoras, ut eo tempore illas consummasse crederetur. Peritiæ Geometricæ documenta sunt variæ ab ipso excogitatæ demonstrationes quas inter & decantata illa,

la, ob cujus inventionem Hecatomben sive centenos fertur immolasse tauros. Et uti, docente Vitruvio, ex membro vel minimo totius corporis modus colligitur: ita Pythagoras Herculani corporis mensuram collegit ex stadio Pisano, quod Hercules pedibus suis metatus fuerat. Testatur quoque de singulari ejus eruditione ingens Auditorum undique ad eum confluentium numerus, quorum ad sexcentos usque habuit, quos inter celebres admodum fuêre Archytas Tarentinus & Alcmæon Crotoniata. His tanti fuit Magistri sui authoritas, ut eam vel citra rationem ad quidvis credendum sufficere existimarent, atque si quid affirmarent in disputando, contradicentibus eam continuo opponerent, exclamando scilicet tritissimum illud αὐτὸς ἔφα, quo ipso nimium quidem eos authoritati docentis tribuisse nequaquam inficiandum, siquidem *in disputando non tam Authores, quàm rationum momenta esse quærenda* recte judicaverit Tullius *de Nat. Deor.* Utrum Pythagoras nonnulla ingenii sui monumenta scriptaque reliquerit, non usquequaque liquet. Si Plutarcho *in Alexand.* fidem habemus, neque Pythagoras scripsit quicquam, neque Socrates, Arcesilaus, Carneades philosophorum gravissi-

mi. Idem planè ſenſiſſe videtur Joſephus, 2.*c.App.* Unde cum Hieronymo Ruffinus objeciſſet, temerè eum Pythagoræ ſcripta affinxiſſe, aliò divertit, parumque conſtanter id affirmavit. Quapropter etſi Laërtius ludere eos cenſeat, qui affirmant ſcripſiſſe, ac quamvis *aurea* quædam carmina ejus nomine circumferantur à præceptis de venerando Deo † & obſervando juramento incipientia, nihilominus veriſimilius viſum eſt naris emunctæ Criticis, germanum atque genuinum Pythagoræ ſcriptum fuiſſe nullum, ſed à diſcipulis & ſectatoribus ſub celebri ejus nomine quædam divulgata fuiſſe. Cæterùm quantacunque fuerit doctrinæ ipſius excellentia, huic tamen corydalo (ut eſt in Proverbio) criſta non inerat, proculque abſuit ab illa, quæ eruditionem nimis quam frequenter comitatur, animi elatione & ſuperbia, mirificaque ejus fuit modeſtia. Cùm enim alii illius temporis ſtudiis exculti *ſapientes* appellarentur, ipſe primus hoc nomen reſpuit, DEO ſoli id convenire ratus, & *Philoſophum* ſe novo tunc nomine profeſſus eſt, quod Plato *in Phæd.* & Tullius *de offic.* par virorum ſelectiſſimum, ipſius quoque modeſtiæ adſcriptum ivêre,

† Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, &c.

ivêre, quod deinceps à tanto exemplo in uſu fuit, cujus tamen uſûs occaſione celeberrimus ISELIUS noſter in mantiſſa erudititiſſimæ Diſſertationis de Hiſtoricis Latinis melioris ævi accuratè admodum & exquiſitè diſputavit, *licet Pythagoras philoſophum ſe rectè appellaverit, exinde tamen ipſam artem, quam is profitebatur, minùs rectè appellatam fuiſſe philoſophiam*. Præter modeſtiam quamplurimæ aliæ ejus præſtantiſſimæ virtutes eluxêre, veluti juſtitia, probitas, prudentia, frugalitas atque temperantia, quippe jusjurandum religioſe obſervari neminemque Diis ad pejerandum abuti volebat. Cibo potuque victitabat tenui, unde & frugale convivium Pythagoricum dici conſuevit, vigiliis intentus breves admodum ſomnos capiebat. Crotoniatis & Metapontinis leges condidit populosque luxuria difluentes ad frugalem cultum revocavit; adeo ut & mulieres integritate ejus vitæque ſeveritate adductæ veſtes auratas & ornamenta corporis laſciviora depoſuerint. Porró quot ſaluberrimis monitis probitatem & prudentiam patefecit? ut pauca ex ingenti ſylva delibemus, quàm egregiè diſcipulos ſuos hortabatur, ut quotidie, antequam cubitum irent, examen apud ſe inſtituerent & facta ſua re-

recogitarent, unde dubio procul Andinus Vates hausit argumentum illorum versuum, quibus effigiem viri boni graphicè depinxit:

Non prius in dulcem declinat Lumina somnum
Omnia quàm longi reputaverit acta diei
Quò prætergressus? quid factum in tempore, quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

Observatū hoc rigide P. sextio, viro laudatissimo, qui teste Seneca de ira *l. 3. c. 37. consūmato die, cùm ad nocturnam quietē se recepisset interrogabat animum suum, quod hodie malum tuū sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es?* Quin & ipsemet Seneca eandem consuetudinem totum diem excutiendi habuit constanterque tenuit. *Utor* (inquit) *hac potestate, & cottidie causam apud me dico. Cùm sublatum est lumen, & conticuit uxor moris mei jam conscia, totum diem mecum Scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo, quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm possim dicere: vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco.* Ab hoc Pythagoræ instituto discipulis commendato non valde alienum est, quod olim sapientes Indi Gymnosophistæ dicti, usurpabant, de quibus Apulej. 1. *Florid. ubi mensa posita, priusquā edulia apponuntur, omnes adolescentes ex diver-*

sis

sis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magistri perrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerint? hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum sanata simultate amicos ex infensis reddidisse: inde alius sese parentibus quippiam imperantibus obedisse: alius aliquid meditatione sua repperisse, vel alterius demonstratione didicisse. Qui nihil habet afferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur. Fuit & hoc inter prudentissima Pythagoræ monita, *μὴ ῥαδίως Δεξιὰν ἐμβάλλειν non facilè porrigendam esse dextram*, hoc est, cùm dextra antiquitùs in sociati fœderis testimonium oblata fuerit, non promiscuè omnes in amicitiæ fœderisq; societatem admitttendos esse. Multi enim, ut est apud Poetam

- - - isthoc more atque exemplo vivunt, quos cum censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis
Factiosa Lingua, ignava opera, sublesta fide.

Præterea licet veri & non fucati amici pro thesauris habendi, licet ex veteri verbo, nulla sit amico pulchrior possessio, licet nihil dulcius, quàm habere, quocùm audeas omnia sic loqui, ut tecum; nihilominus prudentissimi quique judicarunt amicitiam in plures nimis diffusam turbare & rem pretiosissimam eripere aut partiri. Idem Pythagoras

goras Cicerone teste *vetuit injussu Imperatoris id est, Dei, de præsidio & statione vitæ discedere*, in quo quidem Gentilium Saniores habet consentientes. Cicero enim hanc hominis in se sævitiam diserte libro de Senectute & in Somnio Scipionis damnavit. Virgilius illis, qui *sibi lethum insontes peperere manu, lucemque perosi projecere animas* locum in inferno à beatis remotum assignat. Nimirum sicut iis, quos Magistratus in carcerẽ aut custodiam dedit, nõnisi ejus venia exire permissũ, aut si faciunt, pœnã sibi adaugent: ita si quis furtiva veluti discessione è vita demigrat, non vitatur miseria sed cumulatur. Complura alia saluberrima Pythagoræ monita extant, veluti: *In ira neque dicendum, neque faciendum esse quicquam.* Necnon: *Vitam optimam esse eligendam, hanc enim jucundam reddi consuetudine*; quo monito ad indefessum virtutis studium homines incitabat. Facere non possum quin hactenus recensitis, & istud, quod frequens ei in ore erat, adijciam: *omnibus machinis arcendum esse à corpore morbum, ab animo imperitiam, à ventre luxum, à civibus seditionem, à re familiari factionem, ab omnibus partium studium*, quod sanè tantum apud Gentilium nonnullos effecit, ut dicere non vererentur, Pythagoram esse quempiam Deo-

Deorum cœlestium mortalibus in usum & correctionem vitæ humanæ concessum. At nos quemadmodum magnam quidem ejus præstantiam agnoscimus: ita illustre hoc veteris ævi sidus suis non caruisse maculis nævisque, jamjam demonstratum ibimus. Quid enim? annon inepte statuebat & ridiculè μετεμψύχωσιν sive (si ita loqui liceret) *transanimationem*, hoc est, humanarum animarum transitionem è corpore in corpora alia, etiam belluina porcorum, taurorum, si se sceleribus coinquinassent, qua ipsa quoque de causa abstinentiam ab animantium esu commendasse censetur, *ne quis bubulam forte de aliquo proavo suo obsonaret*, uti Tertullianus hoc effert, *in Apolog.c*.48. quamobrem fabas eundem rejecisse creditum est, eo quòd, referente Plinio *l*. 18. *c*. 12. mortuorum animas iisdem inesse opinaretur, quamvis Suidas dissentiat, diversasque prorsus valetudinem spectantes hujus à fabis abstinentiæ causas adduxerit. Utrum verò Pythagoras abstinentiam ab omnium omninò, an à quorundam duntaxat animantium esu commendaverit, vix certò definiri queat. Si Aristoxenum apud Laertium audimus à *bove arante* solùm & *ariete* abstineri voluit. Quinimo Aul. Gellius *Noct. Attic. l*. 4. *c*. 11.

tanquã falsã opinionẽ traducere non veretur, *Pythagoram non esitasse ex animalibus*, quibus tamen repugnare videtur usurpatum Pythagoræ symbolum ἰχθύων μὴ γεύεσθαι *pisces non gustandos esse*, cujus interdicti Plutarchus in symposiacis peculiarem adduxit rationem, abstinentiam videlicet à piscibus commendasse Pythagoram, quòd hos quasi disciplinæ suæ addictos agnosceret ob silentium suis injunctum, quod inter animantium genera piscibus adeò privum propriumque est, ut proverbio locum dederint, quamvis aliqui canem marinum exceperint, & in Clitorio amne Arcadiæ pisces vocẽ edere Athenæus scriptum reliquerit. *Deipnos. l.* 8. Verùm è diverticulo in viam redeamus. Nota est famosa illa Pythagoræ ἐχεμυθία (cujus obiter modò mentionem fecimus) notum est quinquenne illud silentium à Pythagora discipulis olim impositum, cujus intuitu Apulejus eos per hoc tempus *elingues* vocavit, ipsisque *vocis* quoddam *exilium* attribuit. Causas quinquennis hujus à Pythagora impositi discipulis silentii varii varias protulêre, veluti ut eò attentiores essent discipuli auresve eò magis arrigerent, ut garrulitatem & sermonis futilitatem Juventuti adhærescentem dediscerent, contra rei omnium difficillimæ

scili-

ſcilicet taciturnitati maturè aſſueſcerent, ut verborum contumeliis laceſſiti & maledictis provocati linguam refrenare neque convitia convitiis reponere diſcerent. Hanc quinquennis ſilentii Methodum, qua uſus eſt Pythagoras, quamplurimi probârunt magnisque laudibus extulerunt: ego vero illam hallucinationibus viri cætera præſtantis accenſendam, hincque adeo non laudi ſed vitio ei vertendam eſſe arbitror. Agnoſco equidem taciturnitatis præſtantiam, eo certe majorem, quo difficilior rariorque ſolet eſſe hæc virtus, & quam magnis quandoque viris deeſſe compertum eſt. Placent mirificè mihi Hebræorum effata, quando illam סיג לחכמה quandam *ſapientiæ ſepem* nuncupant, imo quod plus eſt, quando pronuntiare non verentur ראש כל מוסר שתיקה *caput omnis diſciplinæ eſſe ſilentium.* Nec longè abſum ab illorum ſententia, qui cenſent in Academiis non minus forſan utiles futuros Doctores, qui tacendi quàm qui loquendi artem profiterentur, eo quod ſilentium vinculum humanæ ſocietatis propemodum non minus neceſſarium ſit quàm loquela, quoniam ubi illo deficiente ſive imprudens ſive malitioſa dominatur garrulitas, nihil niſi diſcordiam, lites, jurgia & o-

 dia

dia plusquam Vatiniana ſuſcitari videas. Intereà quamvis taciturnitatem cumprimis juventuti inſtillare intenderit Pythagoras, medium tamen minus æquum modumque excedens ad finem conſequendum adhibuit, perinde acſi quis alicujus edacitatem inediâ & denegatis prorſus cibariis, oculos vagabundos cæcitate & luminibus effoſſis, inceſſum indecorum quinquenni ſive ſtatione ſive ſeſſione corrigere in animum induceret, quis obſecro patienter ejusmodi correctorem ferret, quis non pro inſulſo & commotæ mentis homine eum habiturus eſſet? Duo humano generi largitus eſt benigniſſimus Mundi conditor munera longè nobiliſſima, animam ſcilicet cogitantem &, quâ cogitata ejus pateſacimus, vocis diſtinctæ elocutionem ſonumque, hujus verò uſum ad quinquennii ſpatium interdicere, quid eſt ſi hoc non eſt ex hominibus ſtatuas facere? Egregie Apulejus *l.3. Florid. Vox cohibita ſilentio perpeti non magis uſui fuerit, quàm nares gravedine oppletæ, aures ſpiritu, oculi albugine obducti.* Quanto ſatius fuiſſet ſalubres diſcipulis de linguæ ſermonisque Regimine, de loquendi & tacendi vicibus regulas præſcripſiſſe, quàm verò remedium adeò violentum & naturæ hominis, ad vitam ſociabilem nati,

ini-

inimicum usurpare. Sapienter Plutarchus *l. de util ex inim.* censet, *linguam rationi subjici & morigeram fieri non posse, nisi quis multo studio & industria pessimos affectus (qualis est ira) devicerit.* Notum est quandam dari *mutorum linguam*, quâ de multa ingeniosè admodum & eleganter more suo commentatus est Celeberrimus WERENFELSIUS noster in eruditissima Dissertatione de Loquela. Ea est, quando muti vel necessitate adacti, vel aliis quandoque oblectandis, certis corporis motibus & gesticulationibus animi sui sensa explicant. Hujusmodi mutos complures in aula Imperatoris Turcici reperiri, ipsumque adeò Imperatorem illorum colloquiis, quæ nempe per loquaces nutus fieri solent, mirificè delectari, ab hominibus fide dignis traditum est. Fac ergo Pythagoræ discipulos durante ququennij silentio signis quibusdam usos quibus cogitata patefacerent, (cujusmodi quid Philostratus *l.* 1. *c.* 15. de Apollonio tradidit, quod is videlicet quinqueñis silentii tempore oculorum manuumque motu capitisque nutu ad interrogata responderit) proclive nihilominus est suspicari, integrum quinquennij spatium obmutescentibus non sine insigni tædio & molèstiâ transactum fuisse, quinimo odium & a-

versationem literarum potiùs quàm amorem aliquorum animis ingenerasse, ferè uti de Alcibiade refertur, quòd tibiæ studium rejecerit non hoc duntaxat argumento, quòd eum in modum os hominis immutaret, ut vix à familiarissimis dignosceretur, sed & quòd homini propriam vocem adimeret & loquendi facultatem eriperet. Hæc de Pythagora. Quod porrò ad Platonem attinet, Jure merito dici queat, hunc Socratis discipulum ingenio dotibusque præstantissimum fuisse. Et quis nescit magnifica illa non solùm Gentilium, sed & insignium veteris Ecclesiæ Doctorum de illo judicia, quis laudes, quibus ipsum cumularunt, ignorat, aut cuinam latet, quàm ampla ei præconia tribuerint? Profectò Tullius non uno in loco palmam Philosophis aliis ablatam in Platonis dextram transtulit, Arnobius *divinum* Platonem nuncupare, Augustinus vero eundem cæteris Gentilium Philosophis præponere nequaquam dubitavit. Numenio *Moses Atticissans* dictus est, (quem tamen meliùs ex suo sensu Atticum Mosaizantem dixisset) haud dubiè quod hæc opinio illius animo insideret ex divinis & cumprimis Mosaicis voluminibus non pauca eum hausisse, quemadmodum & Theodoretus asserit,

eum

eum, *ἐκ τῶν ἑβραικῶν ναμάτων ex Hebraicis fluentis plurima hausisse*, & quæcunque piè de Deo, ejusve cultu dixerit, ex Hebraica Theologia surripuisse, cui Ambrosius astipulatur, in Psalm 118. scribens, *Platonem eruditionis gratia in Ægyptum esse profectum, ut Mosis gesta legis oracula & prophetarum dicta cognosceret.* In Platonis Scriptis interpretandis illustrandisve Marsilius Ficinus Philosophus & Rhetor Florentinus omnem ferè operam collocavit, usque adeo ut Mirandulæ Comes Johannes Picus credibile putaverit, Platonem revixisse in Ficino, si vera esset Pythagoreorum sententia. Interea nequaquam inficiandum est, turpiter in multis hallucinatum esse Platonem. Quemadmodum dictus est in multis *Pythagorissare*, ita & *μετεμψυχώσεως* Pythagoricæ errorem erravit, neque raró secum pugnantia scripsisse deprehensus est. Præterea quot pudendos errores alios admisit, quot crassissimæ sunt ejus hallucinationes de cœlo, de corporibus cœlestibus, de Angelis, quarum aliquæ ex ipsius Schola in ecclesiæ quoque primitivæ pomæria irrepsêre. Quàm frivola non pauca leges ejus continent, adeó ut, sicuti (Tullio teste) numerorum Platonicorum obscuritas in proverbium abiverat: ita quoque cùm quid inconcinnum & frivo-

lum significare volebant Græci, proverbii vice ψυχρότερον Πλάτων© νόμων *frigidius Platonis legibus esse dicerent*. Et quis non obstupescat ad turpissimas ejus leges, (quarum Eusebius *l*.13.*c*.11. *de præparatione Evangelica* mentionem non sine justissima detestatione fecit) quibus multa præcepit de uxorum communitate, de nudarum adolescentularum exercitiis, certaminibus, earundemque tripudiis, mixtisque cum nudis juvenibus choreis, aliisque id genus, quæ honestati è diametro sunt contraria, omnemque ferè pudicitiam profligant? Hac sanè in parte multis gentilium longè inferior est Plato, quin & Barbaræ quædam gentes, hodieque honestatis palmam ei eripere videntur. Quàm graviter contrà atque decenter Cicero *in Tusc. Quæst. Flagitij Principium est nudare inter cives corpora*. Memoratu quoq; dignissimũ est, quod Gellius de Milesiis virginibus, *l*.15.*c*.10.*N. Att*. prodidit. Cùm enim nullo amplius remedio caveri posset, quo minus illæ in seipsas grassarentur necemque sibi consciscerent, hoc uno edicto sistebatur illarum rabies, quo sancitum fuerat, ut, quæ sese enecassent, nudæ per compita media luce traherentur, tanta nimirum ipsis pudicitiæ cura fuerat, ut neque corporum mortuorum

tuorum nuditatem aliorum oculis exponi voluerint, ferè uti J. Cæsar à Conjuratis impetitus inferiore corporis parte velatâ honestè cadere cupiebat. Taceo Barbaram Turcarum gentem, quæ hodieque non patitur, ut in publico retectâ facie fœminæ conspiciantur, aut eodem cum viris lavacro utantur, planè quemadmodum Adrianus & Justinianus Imperatores *l. ult. C. de Rep.* olim pudicitiæ tuendæ causa discreta viris fœminisque balnea injunxêre, & patrimonio illos multârunt, qui communibus uterentur lavacris. Superest ut de Aristotele nonnihil addamus. Magnus hic equidem vir fuit, & quem jure miretur omnis ætas, solertissimus naturæ indagator, ingenij vasti & diligentiæ incredibilis. Plenâ & liberali manu laudes ei dilargitur Cicero *IV. Acad.* *Quis omnium* (inquit) *doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior Aristotele fuit?* Eidem *philosophorum Princeps excepto Platone* dicitur. Plinius *summum in omni doctrinâ virum appellavit.* Sunt inter Philosophos hodiernos, qui se tum demum sapere putant, si nonnisi contemtim de Aristotele sentiant & loquantur, quibus commemoratio laudum ejus bilem movet. Constat equidem (& quis tam in-

ſulſus fuerit ut hoc negare ſuſtineat) eos Ariſtotele in rebus philoſophicis longe oculatiores eſſe, incognitione veritatis admirandos feciſſe progreſſus, arcanas rerum cauſas feliciter indagaſſe, & experimentis evidentiſſimis ſtabiliviſſe. Hæc omnia ultro & haud inviti illis largimur. Interea & hoc perſuaſiſſimum nobis eſt, eos, qui cenſent Ariſtotelem nihil egiſſe, nihilque omninò ex ejus libris addiſci poſſe, non minus errare atque illos, qui veritatem & ſapientiam extra Ariſtotelem fruſtrà quæri exiſtimant. Nunc porrò nequaquam diſſimulamus, quæ noſtra eſt ingenuitas, cordatiſſimos homines pleroſque in Ariſtotele (ut alia jam taceamus) obſcuritatem magnoperè reprehendiſſe, quod is nempe non ſimpliciter & aperte proferret, quæcunque invenerat, ſed ambiguis verborum involucris abderet, quaſi ſcilicet livore percitus utiliſſimas artes poſteris impertiri noluerit, unde eum nonnulli ſepiæ piſci compararunt, de quo traditum eſt, cùm irretiri aut capi non vult, atro quodam cruore per aquam ſparſo elabi. Ludovicus Vives, vir ob eruditionem & ſapientiam non vulgarem omni laude dignus, monuit *de cauſ. corrupt. art.* Themiſtiũ Ariſtotelis interpretem quodam loco dixiſſe: *longè aliter*

omnia

omnia foras esse ab illo edita, quàm sint domi tradita, dementiaq; simile esse, si quis speret se ex libris Aristotelis sententiam ejus penitus assecuturum esse. Sed quid Themistio teste opus? ipse de se Locupletissimus testis est Aristoteles. Cùm enim Alexander M. scriptis ad Præceptorē literis cōquestus esset teste *A. Gell. l. 20. c. 5. Noct. Att.* quòd editis ab eo Acroamaticis libris vulgasset, illa, quæ ab eo didicisset, sapientiæ secreta, quo fieret, ut nulla amplius re ipse præ aliis præstaret, si omnium communia fierent, cùm tamen doctrina anteire mallet, quàm copiis & divitiis, respondit Regi Stagyrites, edidisse quidem se quæ ad Philosophiam pertinent, sed perinde tamen ea futura, quasi edita non essent, nisi ab his legerentur, qui illa ex dicentis ore audivissent, id quod, si nihil aliud tot Aristotelis interpretes (quorum numerum jam suo tempore ad duodecim millia pervenisse Franciscus Patritius asserit *discuss. Peripat.*) abunde demonstrant. qui cum obscuritatem Aristotelis emendare debuissent, contra tamen eam non tantùm imitati sunt, sed etiam adauxerunt, seduloque dedisse operam videntur, ut difficilius longe esset ipsorum quàm Aristotelis verba intelligere. Cæterum ex responso Aristotelis colligi posse videtur, non tam

invidiæ impulſu eum obſcuritatem affectaſſe, quàm ne diſcipulum ſuum Alexandrum offenderet.

EXPOSITIO CERIMONIARUM IN CREANDIS

L. A. M. Uſitatarum ab Authore in frequentiſſimo Auditorio recitata An. 1723. d. 25. Maij, quo V. Magiſtros ſolenniter creaverat.

CATHEDRA.

JUſſi vos *Candidati optimi* primò conſcendere cathedram hanc eminentiorem, ut intelligatis, vobis eo ipſo docendi jus tribui, cùm Doctorum ſit tradendæ doctrinæ cauſa eminere & ab omnibus conſpici. Abſit tamen ut locus elatus, cujus occupandi jus vobis conceditur animi elationem in vobis gignat. Etenim uti in *Pirke Afot* dicitur: הגס לבו בהוראה שוטה ורשע *Qui elato eſt animo in docendo, inſipiens eſt & impius.*

Etiam

Etiam in loco elato constitutus nihilominùs humilitatem perpetuo sibi commendatam habebit, quin si Hebræorum sapientibus aurem præbemus, כל מי שהוא שפל רוח זוכה לכבוד *Is demum qui humili est animo, honore dignus est.* Porrò tametsi cathedræ sublimitas admonere vos possit, rerum sublimium & abstrusarum indagini operam quoque dandam esse; nequaquam tamen ejusmodi rebus investigandis insudetis, quæ humanæ rationis decempedam excedunt, vimque vel acutissimorum ingeniorum prorsùs eludunt. Qui enim hoc faciunt, in illos quadrant verba Apollinis apud Homerum: νῦν σὺ ὧδε θέεις ἀκίχητα διώκων, *Nunc tu quidem sic curris, inaccessa persequens.* Refert Martinus MARTINIVS in Histor. Sin. Imperatorem quendam Sinensium Hiaovo conjugis suæ Changoæ excessum tantoperè luxisse, ut nullam consolationem admitteret, cumque Magus quidam ei persuasisset, Changoam in luna vivere & spirare, Imperatorem turrim extruere conatum, cujus ope ad lunam pervenire posset, à quo insano incepto nemo ferè ipsum retrahere poterat præter Architectum quendam, liquidóque ei commonstrantem, id fieri nequaquam posse, tanto quippe fundamento opus fore, ad

quod ponendum tota, quà patet, Sina non esset suffectura. Enimverò si rectè calculum ponimus, non multò saniores sunt isto Sinensium Imperatore, qui curas suas cogitationesque in ejusmodi rebus defigunt, quas humanæ vis industriæ explorare nequit.

LIBER.

Secundò librum vobis trado & primò quidem, *apertum*, cujusmodi librum apertum eximius Arragonum Rex Alphonsus (qui gloriatus est se totum Vetus Novum Testamentum unà cùm glossis decies & quater perlegisse) pro insigni olim usurpaverat. Hunc librum volvo & revolvo, ut vos commonefaciam, assidua & indefessa librorum lectione eruditionem non acquirendam modo verùm etiam conservandam & augendam esse. Sanè qui incensi sunt cupiditate scientiæ rerum pulcherrimarum, illorum deliciæ libri sint oportet ad exemplum non ignobilis illius Poetæ, qui in Museum ingressus sequentes in ore habebat Hendecasyllabos,

Salvete aureoli mei libelli
Meæ deliciæ, mei lepôres

Quàm

Quam vos sæpè oculis juvat videre
Et tritos manibus tenere nostris.
Tot vos eximij, tot eruditi
(Prisci lumina seculi & recentis)
Consecêre viri, suosq; vobis
Ausi credere lucubrationes.
Salvete aureoli mei libelli
Meæ deliciæ, mei lepóres.

Dolemus meritò illorum vicém, qui cùm per aliquot duntaxat horas continuas in Museo lectioni vacandum est], existimant se fato haud paulò inclementiore uti, quàm Bajazetem Turcarum Imperatorem in ferream olim caveam à Tamerlane Scytha inclusum, ingemiscimus infelici illorum indoli, qui diutinæ sessionis & lectionis impatientes avocationibus quibusvis locum dare consueverunt. De Empedocle Agrigentino hoc singulare refert Ælianus, quòd ὑποδήμασι χάλκοῖς *calceis æneis* uteretur, quod ipsum confirmant apud Diogenem Laertium, Favorinus, atque Neanthes, qui Empedoclem montis Ætnei flammis consumtum, & paulò post alterum ipsius calceum æreum in montis istius vicinia inventum prodidêre. Cùm Johannes Britanniæ Rex cum Galliarum Rege Philippo bellum olim gereret, atque pecuniæ inopia esset,

non

non Judæos duntaxat, ſed & Clericos rigidis exactionibus torſerat, cumque reluctantem haberet Archidiaconum Londinenſem, Rex ipſius contumaciâ irritatus, capi eum & in pœnam habitu plumbeo admodum ponderoſo indui onerarique mandaverat. Si nonnulli ſeſſioni & librorum lectioni parùm aſſueti præter calceos æneos, quales Empedoclis fuêre, plumbeo inſuper amictu onerarentur, ambigi adhuc poſſit, utrum vel hiſce mediis adhibitis domi contineri, & librorum lectioni aſſuefieri poſſent? De vobis, (Candid. opt.) meliora

Et reor, & veri ſi quid mens augurat, opto.

Cæterùm nequaquam abs re fuerit, neque parùm ad attentam fecerit lectionem, iis librorum, quos evolvendos habebitis, editionibus uti, quoad fieri queat, quas elegantia typorum & chartæ nitor commendant. Notavit hoc non obiter incomparabilis & verè θαυμάσιος ERASMUS noſter. Is enim in edendis Chryſoſtomi operibus occupatus ad Amicum ſuper hoc Argumento *l.* 28. *ep.* 4. in hunc ſcripſit modum: *Chartæ & typorum elegantia non parùm conciliant gratiæ, & Lectorem alioqui faſtidioſum ceu lenocinio quodam*

dam invitant. Externa sunt ista (fateor) sed ea tum demum fatebor pro nihilo ducenda, si sordida vestis, si illota facies, si impexus capillus nihil obscurant bonæ formæ gratiam; sique nihil eam commendant cultus & honesta mundities. Vix mihi tempero hac occasione, quin proferam, quid de Germania (ubi quæ eduntur, non raro typorum elegantia & nitore chartæ destituta sunt) senserit Celeb. MORHOFIUS. Nimirum ingenuè, ipsemet licet Germanus, id prodidit in Polyhistore suo, opere multiplici eruditione referto: *Germania* (inquit) *olim nostra cùm typos prima invenisset, eos dedit quàm ornatissimos, hodie vero multis in locis adeò sordida excudit volumina, ut, si chartam spectes, sterquilinio videatur effossa, si typos, non impressa sed atro colore oblita credas volumina. Contrà dedit Italia, Belgium & Gallia venustos admodùm libros, quorum etiam exterior species legentis oculos oblectat.* Nunc porrò (Cand. opt.) *clausum* hunc vobis librum porrigo, ut memineritis eò vobis enitendum esse, ut, quotiescunque libri vobis ad manum non erunt, vos illorum defectum è divite memoriæ penu supplere, & ea, quæ improbo studio, vigiliis multis, lectione assidua, meditatione inten-

 ten-

tentiore didiciſtis, expeditè inde depromere valeatis.

PILEVS.

Tertio loco pileos capitibus veſtris impono, non ut perpetuò illis impoſiti maneant, quaſi clavis fuiſſent infixi, (cujusmodi ſævitiæ genus Dracula quondam Tranſylvaniæ Princeps in Legatis Turcicis exercuit) eſt enim perſæpe urbanitatis & reverentiæ caput aperire. Pileum libertatis præcipuè eſſe ſymbolum, atque apud veteres Romanos ſervis, quando manumittebantur, datum fuiſſe, notius eſt, quàm ut pluribus ſit repetendum. Quidnî dicamus autem Helvetios ſpeciatim libertatis commonefacere poſſe pileum? Cùm enim olim Grisleri Præfecti Auſtriaci in Helvetia tyrannis & inſolentia eousque proceſſiſſet, ut juſſerit maximam hominum frequentiam pileo prælongæ perticæ impoſito, capite nudato, flexisque genibus eundem prorſus, quem ſibi præſenti, honorem exhibere, inde profectò nata eſt occaſio primis Helvetici fœderis Authoribus libertatem excuſſo intolerabili jugo recuperandi, adeò ut ad pilei intuitum proclive admodum ſit Helvetiis de libertate cogitare. Licet enim pileus Grislerianus

ſervi-

ſervitutis ſymbolum fuerit, nihilominùs libertatis pòſt recuperatæ anſa quædam erat & occaſio.

Cæterùm nolite vos eam, quæ vobis jam conceditur, majorem philoſophandi libertatem vertere in effrenem quandam licentiam, neque aut vaniſſimæ ambitionis impulſu, vel contradicendi prurigine ad abſurdiſſimarum opinionum portenta deflectatis (quo nomine ſubinde aliqui famam & gloriolam aucupantur) ſed ſectetur libertas veſtra normam & legem veritatis, hujusque unicè rationem habeatis. Ne vile ſit unquam pretioſiſſimum hoc veritatis κειμήλιον in oculis veſtris, quemadmodum vile olim fuerat in oculis profani hominis Pilati, qui facta aliquando à ſanctiſſimo Servatore veritatis mentione, arroganter oppido & contemtim ajebat: QUID EST VERITAS? quem proinde is, qui eſt ipſa veritas, quique impiger aliàs erat ad inſtillandam hominibus veritatem, nullo planè reſponſo dignabatur, quippe quod nèc exſpectabat deriſor ille, neque etiam merebatur.

PALLIUM.

Dum pallia humeris vestris superinjecta conspicor, facere non possum, quin verbum de iis dicam, quoniam reverâ antiquissimis temporibus pallium quoddam peculiare & ab aliis distinctum, philosophorum habitus fuerat. Τρίϐων nominabatur, unde & τριϐωνοφόροι philosophi nuncupati. Sed & ejusmodi *pallium philosophicum* sumebant olim *philosophi Christiani* seu *Ascetæ*, qui inter Christianos exactioris disciplinæ normâ & strictioris propositi rigore censeri volebant. De hoc philosophorum pallio multa congessit

Optimus interpres veteris Salmasius ævi

In notis eruditissimis in Tertulliani de *pallio* librum, obscurum illum equidem & in quo celebris aliâs Ecclesiæ Doctor operam dedisse videtur, ut à nemine intelligeretur, cùm tamen eum conscripserit ceu Apologiam, postquam à Carthaginiensibus suis olim eo nomine increpitus fuisset, quòd togam pallio commutasset. Cæterùm non omninò expers institutionis censete vetustum hoc tegumenti genus. Quemadmodum ex. gr. non nimis decurtata decet esse pallia, ne morionibus in theatris assimilemur; neque etiam prælonga, ne hu-

mum

mum verrere & semitas à sordibus repurgare velle videamur: ita à nimia, in iis, quæ dicenda habebitis, brevitate vobis cavendum, ne obscuri fiatis: attamen & nimiam ac plerisque invisam prolixitatem vitabitis, quippe quæ optimè dictorum præstantiam quodammodo imminuere, & (ut J.C. verbo utar) *depretiare* solet. Et uti pallium humeros reliquumque corpus contegit: ita errores ab aliis ex imprudentia commissos fraternæ charitatis pallio tegere mementote. Porrò si quem obvium habeatis lacero & detrito pallio ámictum, sed cui tamen mens non læva sit, humilitatis memores à contemtu vobis cavete, cùm sæpè etiam, juxta Ciceronis effatum, *sub sordido palliolo sit sapientia:* contrà sub veste pretiosissima serica, holoserica, undulata, florulenta, virgata, byssina, aurea, argentea, multum quandoque insipientiæ hospitetur. Denique si hmumilitatis & sapientiæ laudem sartam tectamque conservare cupitis, minimè inflati illius Magistri morem imitabimini, qui cùm lectitasset, Pontificem maximum Vet. Test. appensa pallio habuisse פעמוני זהב *tintinnabula aurea*, in animum induxerat pallium cum affixo tintinnabulo gestare, eo fine, ut, si per plateas incede-

ret, indicio ſonitûs conſtaret, Magiſtrum noſtrum adventare.

ANNULUS.

Jam porrò digitos veſtros annulis decoro. Annulus in nulla fere lingua ſignificantius nomen adeptus eſt, quàm in Hebræa, dictus quippe טבעת ab *inſigendo*, eò quod digito infigi conſueverit, niſi alicui magis arrideat explicatio Viri Cel. JOH. A LENT (in Theſibus eruditis ante hos triginta annos Baſileæ ad diſputandum propoſitis antequam Tiarâ Doctoris S. cohoneſtaretur) ſcilicet, quod per annulum ceræ aut ſimili materiæ imaguncula aliqua imprimatur, quæ ceu monumentum quoddam poſſeſſoris annuli, ejusque obligans ſymbolum. Sed cuinam potiſſimum è numero digitorum annulus infigi conſuevit? ſanè hodierno more *auriculari* ſive extremo lævæ manûs digito. Interea tamen conſtat, antehac quartum præ cæteris digitum annulis ornatum, indeque dictum fuiſſe digitum *annularem*, cujus conſuetudinis cauſam veteres hanc tradidêre (hodie quidem, nî fallor, exploſam) quod ſcilicet nervus quidam tenuiſſimus ab hoc digito, in ſiniſtra cumprimis manu, protendatur ad cor

usque

uſque auri virtute & efficacia hac ratione corroborandum. Annulus olim inſigne fuerat Equitum Romanorum. Unde cùm annulorum acervum effudiſſet, ex Cannenſi pugna coram Senatu Carthaginenſi Mago, addidit: illud inſigne ab Equitibus Romanis fuiſſe geſtatum. Utique datus fuit apud Romanos annulus Viris equeſtris ordinis & bellica virtute claris, quin & ex ſacris voluminibus pateſcit, annulos iis indutos fuiſſe, qui ad ampliſſimas dignitates evecti fuêre. Peculiari planè uſui annulum à Rege quodam deſtinatum fuiſſe, in libro מבחר הפנינים traditum eſt. מלך אחד כתב בטבעתו, הכבדת קום וכאשר היה יושב אדם כבד עמו. היה מראה אותו אליו *Rex quidam inſculpſit annulo ſuo hæc verba: moleſtus es ſurge: & quotieſcunque aliquis ei aderat, qui moleſtus eſſet, monſtrabat ei annulum:* nempe ceu eximium artis & naturæ ſpecimen, ſed eo præcipuè fine, ut is animadverſa inſcriptione abitum maturaret. Quod ad vos attinet (Cand. opt.) cur annulus digitis veſtris indutus ſit, non difficile vobis erit colligere; ſcilicet in ſignum honoris jamjam vobis conferendi, quando dictum fuit, olim etiam honoris dignitatiſque ſymbolum extitiſſe.

BAL-

BALTEUS.

Nunc porrò vos balteo circumcingo. Vocabulum baltei videtur aliquibus origine potius Hebraicum quàm latinum esse. Quod si enim penitius Hebræum אבנט considerant, conjiciunt levi mutatione literæ *nun* in L, nec non transpositione porrò literarum & latinæ terminationis adjectione enatum esse vocabulum baltei, hincque non audiendum esse Varronem, *balteum dici quasi bullatum, quòd cingulum fuerit ex corio bullatum.* Quin & iisdem verisimile visum, Hebræum אבנט migrasse etiam in Teutonicam linguam, cùm perpendunt similitudinem vocis germanicæ *band* & Hebraicæ אבנט positâ scilicet litera ב ante literam א. Neque aliud quid est balteus, quàm ligamentum quoddam vesti stringendæ inserviens. Baltei olim Græcis & Romanis in usu fuerunt, iique non unius generis. Habuerunt pretiosissimos sæpè balteos aureos, argenteos, habebant balteos aureis bullis exornatos. Ita Herodianus de Macrino Imperatore, quòd gestaverit balteum multo auro & gemmis distinctum, & teste Vopisco Carinus balteum sæpè habuit

gem-

gemmatum. Usitati quinetiam fuerunt baltei veteribus Hebræis, unde inter alia præcepta iis data de comedendo agno paschali, & hoc fuerat, ut lumbos haberent cinctos. Quoniam enim tunicas talares gestare soliti sunt, balteo opus habebant ad stringendam tunicam, ne incedentibus & iter facientibus impedimento esset. Quapropter Judæi hodierni utpote valdè superstitiosi & priscos majorum ritus ferè omnes ceu religiosos interpretantes, etsi dissimili vestimentorum genere utantur, neque tunicas talares gestent, nihilominus balteis utuntur, quos manè corpori circumdantes hæc verba deblaterare consueverunt ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם אשר אוזר ישראל בגבורה *Benedictus sis Domine Deus noster, Rex Mundi qui Israelem robore cingis.*

Maximus denique & frequentissimus balteorum usus fuit olim in bellis apud omnes ferè gentes, ut eò essent ad pugnandum expeditiores. Unde & Hebraica verba חגר אזר, quæ *cingere* significant, sæpissime in sacris notant *armare*, planè ut Græcorum ζώνη notat aliquando ὁπλισμὸν, sive πολεμικὴν ὅπλισιν *armaturam bellicam*; & ζώννυσθαι cingi idem quandoque quod & ὁπλίζεσθαι armari. Proinde hoc, quo vos

cinxi, balteo moneamini, ut expediti sitis & alacres ad dimicandum contra veritatis hostes, quinimò ut contra vitia & corruptiones hujus seculi omni laterum contentione pugnetis, ne vos rapidissimi torrentis instar abripiant. Etenim

- - - quantum ille beatus
Qui vitæ infames scopulos & naufraga saxa
Festina potuit prætervexisse carina.

D E X T R A.

Postremo dextram vobis porrigo, simulque hac arrha ulteriorem ordinis nostri benevolentiam vobis confirmo. Cur hoc porrecta dextra significari voluerint Majores nostri nequaquam verò sinistra, ejus rei ratio divinatu non est difficilis, quoniam scilicet dextra ipsis fuit honoratior sinistrâ, quod apud Veteres quoque Hebræos olim obtinuisse, vel inde liquere queat, quod Salomon honoraturus matrem Batsebam dextro eam lateri assidere jusserit. Neque ex hoc ipso exemplo contrarium potiùs quis concluserit, sinistram scilicet fuisse honorationem, quippe ad quam dubio procul Salomon consederit, nunc autem credibile esse, non matrem Regis, sed Regem potius ho-

honorationem occupasse locum. Tenendum enim, Salomonem non ad sinistram sed in eminentiori solio consedisse more Regum, qui sibi ipsis neminem anteponunt, eos tamen ad dextram collocant, quos post se maximè honoratos cupiunt, planè quemadmodum apud Suetonium in Vita NERONIS legitur, quòd Nero Tiridatem Armeniæ Regem supplicantem juxta se latere dextro collocaverit, non quòd Nero supplicem hunc Regem sibi triumphanti prætulerit, sed quòd eum eximio duntaxat honore afficere voluerit.

SENTENTIA
G. S. Doctoris Angli Celeb. *de Iudicio particulari.*

RReceptissima est opinio, homines omnes obnoxios esse *judicio particulari*, quamprimùm animæ illorum à corporibus disjunctæ sunt, sive, quemlibet cùm diem suum obiverit citari continuò ad tribunal DEI, ut ibi sententiam suam audiat sine mora in executionem venturam: hominem impium condemnari & ad inferos amandari, pium

contrà & Dei timentem in cœlum recipi, indeque à mortis suæ momento felicitate perfecta frui.

Equidem nequaquam diffiteor hoc semper mihi creditu difficile fuisse. Vivimus enim seculo admodum delicato & perspicaci, quo affirmare non licet, quod probari nequit. Neque etiam cordati hominis est hoc unquam in animum inducere. Alioquin enim exstimationi suæ noceret, neque parùm Religionis præstantiam labefactaret, ejusmodi fidei dogmata tradendo, quæ valde incerta sunt, & quidem tradendo ea non minori confidentia, quam tradi solent ea, quæ certissima sunt atque indubitata. Principio quidem ex sacris evidenter liquet, quòd, cùm fideles & verè pios fatalis hora corripit, illorum animæ migrent in locum quietis & felicitatis, quemadmodum contrà, quando impii fato concedunt, illorum animæ transferuntur in locum miseriæ & pœnæ. Parabola divitis Epulonis & Lazari satis superque hoc declarat, Luc. 16. *quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & sese oblectabat quotidie splendide. Erat verò quidam mendicus nomine Lazarus qui projectus erat ad vestibulum ejus ulcerosus. Factum est autem ut moreretur mendicus.*

eus, & asportaretur ab Angelis in ſinum Abrahami: mortuus verò etiam eſt dives ac ſepultus eſt. Et apud inferos ſublatis oculis, quum eſſet in tormentis, vidit Abrahamum è longinquo & Lazarum in ſinu ejus. Evidentiſſimum eſt hæc reſpicere ſtatum, in quo verſantur pii & & impii continuò poſt mortem, neque eſt cur de eo quis dubitet, cumprimis ſi perpendat preces divitis epulonis ad Abrahamum, ut ſcilicet mittat Lazarum in domum Patris ſui: *habeo enim* (inquit) *quinque fratres, ut hæc atteſtetur eis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormenti.* Hæc enim clarè indicant, Lazarum fuiſſe in ſinu Abrahami, divitem verò comeſſatorem ἐν τῷ ᾅδῃ diſcruciatum fuiſſe, dum interea fratres ejus ſuperſtites genio indulgebant. Novi equidem regulam generalem, è parabolis argumentandum non eſſe. Verùm hæc regula valet tantummodo reſpectu circumſtantiarum particularium ſive hiſtoricarum quæ nonniſi ad decorandam faciunt & exornandam parabolam. Interea tamen certum eſt è præcipuo parabolæ ſcopo utique argumentandum eſſe. Juxta hoc principium igitur è parabola, qua de nobis ſermo eſt, tuto nobis inferre licet, pios & impios continuo poſt mortem eſſe in ſtatu felicitatis & miſeriæ. Alioquin

enim hæc parabola nihil omninò ſignificaret. Aut cur quæſo mitteretur mortuorum aliquis ad erudiendum ſuperſtites de ſuppliciis, quæ impij in ſeculo futuro perferunt, ſi pœnæ omnis expertes eſſent, usque ad diem judicij qui nondum illuxit? hac ratione is qui miſſus eſt, teſtis oculatus eſſe nequiret pœnarum, quas impij luunt, cùm tamen unicum hoc fidem ipſius teſtimonio conciliare queat. Non memini me ſimilem huic ſcripturæ locum legere, qui diſertè adeo teſtetur, peccatores puniri continuo poſt animæ à corpore ſejunctionem: ſed & ſolus iſte plus ſatis hoc probat. Attamen complura dantur ſcripturæ loca, quæ probant pios continuo poſt obitum ſuum felicitatem conſequi. Non ſolus in ſinum Abrahami asportatus eſt Lazarus. Jeſus Chriſtus facinoroſo reſipiſcenti in cruce ſuſpenſo pollicitus fuerat, illum eo die ſecum futurum eſſe in Paradiſo. Divus Paulus 2. Cor. 5. ait, quod *adeſſe in corpore* ſit *peregrè abeſſe à Domino*: contrà quod *abeſſe è corpore* ſit *adeſſe apud Dominum*; id quod ſignificat, fideles cùm moriuntur, ad Jeſum Chriſtum venire. Et hoc ipſum eſt, quod Paulo difficilem adeo reddidit optionem vitæ vel mortis.

Vivendo enim in carne utilissimam Ecclesiæ operam navare poterat, quapropter vivere non recusabat. Moriendo verô apud Jesum Christum futurus erat, cujus consortio nihil potest esse præstabilius. *Constrictus enim*, inquit Philip.1. *utrinque teneor desiderio tendens ad dimissionem & ut cum Christo sim. Est enim id valdè multò melius, sed permanere in carne magis necessarium est propter vos.* De hoc argumento agit & sequens universale effatum: *Beati, qui in Domino moriuntur, à modò, etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, & opera eorum sequantur eos.* Apoc.14. Cæterum præter authoritatem Filii Dei in parabola divitis epulonis & Lazari, ipsa rei natura & oppositionis ratio satis superque docent, miseriam improborum inchoari statim post mortem illorum, quemadmodum piorum felicitas mox post mortem illorum incipit. Mali sæpenumero felicissimam in hoc mundo vitam agunt, nunc enim tempus est patientiæ Dei, *qui non vult ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*, 2. Pet. 3. Verùm dies gratiæ cum hac vita finitur. Vita futura destinata est præmiis & pœnis, ibi quisque accipiet secundùm opera sua. Itaque quamvis statueremus, præmia perfecta bonorum & ca-

la-

lamitates consummatas malorum differri in diem judicii, quo sententia decretoria pronuntiabitur, quæ bonis felicitatem cœlestem, malos autem orco adjudicabit: nihilominus necesse est incipere malorum pœnam, cùm ex hoc mundo excedunt, quia tunc divinæ patientiæ finis adest, itidemque necesse est incipere bonorum præmia statim post illorum obitum, quoniam tunc terminus laboris illorū adest. Atque hæc fuit sententia universalis omnium illorum qui crediderunt statum quendam futurum. Quamvis enim quamplurimis incognitum fuerit judicium generale, quo universi homines sistere se tenebuntur coram tribunali Dei, nihilominus omnes pro certo habuerunt, improbos post mortem venire in locum pœnarum, bonos contra in campos Elysios tanquam locum quietis & felicitatis. Et sanè si præmia nobis exspectanda sunt in altera vita aut pœnæ juxta ea, quæ in hac vita à nobis acta sunt, quid proclivius est cogitare, quàm quòd præmiorum & pœnarum initium futurum sit, quamprimum transituri sumus ad alteram vitam. Interea nihil uspiam legere est de judicio alio formali, quàm de novissimo & generali illo, quod futurum est, quando Filius homi-

nis

nis è cœlo descendet cum glorioso Angelorum comitatu ad judicandum terrarum orbem. Quod si cui examinare lubet omnia ea, quæ Christus ejusque Apostoli de judicio elocuti sunt, nec non parabolas Servatoris, manifestè apparebit nonnisi de judicio extremo & generali sermonem esse. *Die illo* (intelligendus autem est dies certus fixus & judicio destinatus) *multi dicent mihi, Domine, Domine nonne per nomen tuum prophetavimus?* Matt. 7. *In die illo* igitur, hoc est, in fine mundi, cum angeli separaturi sunt triticum à lolio, pisces bonos à putridis, quorum hi & illi eodem reti fuerant capti, nempe quando *Filius hominis veniet* (Matth. 16.) *cum gloria Patris sui, cum angelis suis, reddet unicuique secundum facta ipsius*, vel ut loquitur Paulus 2. Thess. 1, quando *Dominus Jesus revelabitur de cœlo cum Angelis suis potentibus, cum igne flammante, infligens ultionem iis, qui Deum nesciunt, neque auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi.* Christus ipsemet dicit in Evangelio Johannis cap. 5. *Pater filio authoritatem dedit judicium exercendi, quatenus Filius hominis est.* Ibidemque nos docet, quando exerciturus sit judicium: *Veniet hora,*

qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & prodibunt, qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint, in resurrectionem condemnationis. Ita in enarratione eorum, quæ fient die judicii, Matth. 25. *cùm autem venerit Filius hominis cum gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriæ suæ, & cogentur coram eo omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hædis.* Denique judicium futurum est, quum homo peregrè profectus revertetur & vocabit servos suos, ut rationem reddant, quomodo talentis concreditis usi fuerint. Jesus Christus solus est mundi judex, omne enim Judicium commissum est Filio, neque is mundum judicabit nisi in secundo adventu suo, rediturus cum gloria Patris sui & cum Angelis suis. Scribit quidem Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 9. *statutum est hominibus ut semel moriantur: postea vero judicium:* Quæ verba videntur probare, quoslibet homines judicio particulari obnoxios esse, quamprimum fato concessere. Verùm ea, quæ continuò subdit Apostolus versu sequenti, perspicuè declarant, quando hoc judicium futurum sit: *ita & Christus semel oblatus, ut tolleret multorum peccata, secundò absq; peccato conspicietur iis, qui ipsum exspectant ad*

salu-

salutem. Hoc est, Christus secunda vice apparebit ad judicandum mundum, unde patet quod judicium post mortem sit judicium generale. Et sane si de hominibus, ex quo transeunt ad alteram vitam, sententia ferretur decretoria; concipi nequiret, quare Christus die novissimo venturus esset cum Majestate & pompa adeo terribili, ut condemnet eos, qui jam fuerunt judicati, condemnati & extremo supplicio multati. In parabola divitis epulonis & Lazari nusquam dicitur, quòd judicati fuerint, sed simpliciter, quòd Lazarus asportatus fuerit in sinum Abrahami ab Angelis, quippe qui sunt *Spiritus qui Ministerii causa emittuntur propter hæredes salutis futuros*. Heb. 1. 1. qui piis inserviunt in hoc mundo, variaque nobis præstant officia utilissima, quæ ignoramus. Quin & inserviunt nobis, cum ex hac vita discedimus, nosque deducunt ad locum quietis. Asportant nos tutò per medias malorum spirituum phalanges, qui inferiores hasce regiones occupant, in sinum Abrahami. *Dives* verò *mortuus ac sepultus* est, sustulitque oculos suos ἐν τῷ ᾅδῃ, nequaquam autem in gehenna. Vocabulum hîc usurpatum significat statum animarum à corpore separatarum, &, uti videtur statum animarum hominum malorum. Erat ibi dives in *tor-*

mentis: sed quomodo eò devenerit, de eo altum est silentium, neque etiam mentio facta est judicii, quod subiverit, neq; commemoratur, à quo eo delatus fuerit, adeò ut ex analogia parabolæ proclive sit conjicere, quemadmodum Lazarus portatus fuerat ab Angelis in sinum Abrahami, divitem contra epulonem incidisse in manus malorum spirituum. Dæmon enim est Princeps, cui potestas est aëris Ephes. 2. indefessus hominum, donec vivunt, tentator, eorundemque post mortem carnifex. Quicunque eousque derelictus est à Deo, ut traditus sit potestati, malitiæ & crudelitati malorum spirituum, quemadmodum impiis hoc in articulo mortis evenit, dubio procul pœnam satis gravem luit, usque ad diem judicii, quo impij, Diabolus ejusque angeli conijcientur in tenebras, ubi ejulatus & stridor dentium sempiternus. Nemini non constat, quanta crudelitate & tyrannide Diabolus grassatus fuerit in gentiles ipsius cultui mancipatos. Quam lamentabilis ergo illarum animarum status erit, quas Deus Diabolo tanquam truculento & immiti carceris vel reorum custodi tradit torquendas usq; ad diem udicij. Nolim quidem omnino asserere, stud hac ratione fieri, interea tamen veri dmodum simile esse puto. Quod si verò

hoc ita fiat, uti quidem fieri poteſt antequam adveniat Chriſtus ad judicandum mundum, neceſſe eſt fateri, quòd vexari hoc modo à Diabolo, vel vexari *cum* Diabolo angelisque ejus, non magnopere inter ſe differant. At horum primum tamen nondum eſt judicium *finale*. Noviſſima enim ſententia contra infortunatos hoſce nondum eſt pronuntiata. Et quamvis non dubitem, quin ple- b riqueillorum ſciant, quænam olim ſit exſpectanda ſibi ſententia, non minùs quàm Dæmones ſuam cognoſcunt, nihilominus credibile eſt aliquos illorum ſpem veniæ inanem fovere. Et ſanè cùm videmus, homines facinoroſos in hac vita ſibi hac ratione blandiri, quidnî in altera vita hoc quoque accidere queat? Nonnulli illorum, qui ibi diſcruciantur, ſperant forſitan gratiam divinam ſibi obventuram eſſe, cùm Chriſtus venturus eſt ad judicandum mundum. Quodſi enim perſuaſum prorſus haberent, ſententiam ſuam fore irrevocabilem, nulla poteſt reddi ratio, cur die noviſſimo cauſam ſuam acturi & miſericordiam Domini imploraturi eſſent. Nemini ignotum eſſe poteſt, quid Filius Dei hoc ſuper argumento elocutus fuerit: *multi dicent mihi die illo, Domine, Domine, nonne in nomine tuo propheta-*

 vimus,

vimus? nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? nonne in nomine tuo multa fecimus miracula? tunc autem profitebor illis, certè nunquam novi vos, discedite à me, qui operam datis transgressioni legis. Ita in descriptione ultimi judicij, cùm Christus eos, qui ad sinistram erunt, hunc in modum compellabit: *execrati abite à me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. Esurivi enim & non dedistis mihi, quo vescerer, sitivi & non dedistis mihi potum, hospes eram & non collegistis me, nudus & non amicistis me, ægrotus & in carcere eram, & non invisistis me. Tunc ipsi quoque respondebunt ei, dicentes, Domine quando Te vidimus esurientem aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere & non ministravimus tibi?* Nunc autem concipi nequit, ejusmodi homines die novissimo tali defensione usuros esse, si jam fuissent judicati & condemnati, sique sententia *finalis* contra illos jam antea pronuntiata fuisset. Inde ergo hoc consectarium elicitur, tum demum homines finaliter judicatum iri, cùm Christus venturus est ad judicandum mundum, & quod interea boni sint in statu felicitatis, mali verò in statu pœnæ & miseriæ, quòd boni in statu suo felicitatis exspectent cum gaudio ineffabili diem Judicij, utpote quo

præ-

præmium accipient *finale* & consum̃atum, admittendi ad visionem & præsentiam Deii im̃ediatam in cœlis, contra quòd impij præter eas, quas jam sentiunt, calamitates, de judicio futuro cum horrore cogitēt, quippe quo condemnabuntur ad miserias æternùm duraturas. Porrò quamvis scriptura teste mali fiant miseri , & boni felices continuo post mortem, illi tamen ad inferos condemnabuntur, hi verô in cœlum recipientur nonnisi die judicij novissimi. Hoc dubio procul probatu non est difficile, quoniam præmia bonorum* & pœnæ malorum hoc est, præmia & pœnæ illorum *finales*, sive beatitudo cœlestis & tormenta inferni in tabulis totius Novi Test, referuntur ad diē judicij ultimi. Ita Servator noster dicit: Mat. 13. *Mittet Filius hominis Angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos, qui dant operam transgressioni legis projicientque eos in fornacem ignis, illic erit fletus stridorque dentium.* Quinimo ad hoc probandum non alio opus est argumento quàm isto, scilicet quod die judicij boni recipientur in cœlum, mali relegabuntur ad infernum. Quod si enim boni jam antea in cœlo fuissēt, mira certè res esset, si inde rursus ipsis egrediendum esset ut judicentur , iterumque in illud cum majori quadam pompa & solennitate introducantur ; ita & si mali jam

antea fuissent in inferno, itidem mirum profecto esset, si inde educerentur, ut denuo & magis solenniter condemnentur. Cùm hic agendi modus inter homines valdè insolens esset, proinde neque par est illum attribuere judicio Dei. Quòd attinet ad malos conjicientur in ignem paratum Diabolo & angelis ejus, quamobrem verisimile non est, illos in eum conijci ante ipsum Diabolum. Nunc autem Scriptura nos docet, quod jam sit *Princeps, cui est aëris potestas, Spiritus agens in hominibus contumacibus*, Eph. 2. & Petrus scribit 2 Ep. 2. Deum *angelis nòn pepercisse, qui peccarunt, sed in Tartarum detrusos catenis caliginis tradidisse damnationi servatos*; quæ tamen verba pessimè ita translata sunt. Nam si angeli isti in infernum detrusi fuêre, quomodo possunt dici judicio & damnationi servati? aut quamnam possunt subire severiorem pœnam quàm conjectionem in infernũ? In Græco est: σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, quæ verba innuunt, quòd angeli mali præcipitati fuerint in catenas obscuritatis. Neque enim ταρταρεῖν aliud quid significat, quàm præcipitare. Itaque sensus est, quòd Angeli isti, qui antea regiones æthereas incolebant, ubi perpetua lux regnat, ob peccatum suum præcipitati fuerint in regionem aëris tene-

bri-

bricosam, cujus lux etiam fulgentissima nil nil nisi nebula & obscuritas, si compararetur ad regiones illas luminosas, è quibus delapsi sunt. Diabolus est Princeps, cui est aëris potestas, & regiones istæ inferiores appellantur *catenæ caliginis*, quoniam malis angelis per decretum Dei non licet altius ascendere in regiones illas luminosas, ubi antea versabantur, verùm hîc retinentur usque ad judicium diei novissimæ. Certum est & indubitatum, angelos malos, donec in terris commorabatur Servator noster, in infernum minimè detrusos fuisse; obsidebant enim homines & maximoperè de eo conquerebantur, quòd Filius Dei veniret vexatum sese ante tempus. Matth. 8. Noverant, uti videtur, tempus quidem tormentorum sibi destinatum esse, attamen tempus hoc nondum advenisse. Interea locus aliquis erat, in quem amandati fuerant, scil. ἄβυσσος abyssus, quicquid sit id quod hac voce designatur, illuc inviti admodum se receperunt. Unde cum Dominus noster ejecisset illos ex homine, quem longo tempore sævissimo modo obsederant, precabantur eum, ne sibi imperaret abitum in abyssum. Sed & hoc animadversione dignum est, quod

extat Jac.2. *Diabolos credere & horrescere.* Quid verò credunt & qua de causa horrescunt, haud dubiè ob judicium ultimum & terribilem, quam exspectant, sententiam? nondum igitur subierunt judicium, neque sententia in illos lata est, fidei quippe objectum est id, quod absens est & futurum, metusq; non respicit ea, quæ quis revera jam patitur, sed potius quæ in posterum exspectat. Magna hæc dubio procul sunt mysteria, quæ comprehendere nequimus. Hoc vero facillimo negotio intelligimus, nempe: si in angelos apostatas nondum animadversum est extremo & *finali* supplicio, si retinentur in catenis caliginis usque ad judicium diei novissimæ, parùm credibile est, homines impios, quippe cum Diabolo & angelis ejus puniendos statim post mortem suam in infernum descendere, consequenter, quicquid demùm intelligendum sit per *flammas* illas, in quibus dives epulo cruciabatur, nequaquam intelligere possumus per eas ignem paratum diabolo & angelis ejus. Quod attinet ad homines pios, locutiones illæ Scripturæ Sacræ, quæ asserunt illos post mortem in paradisum pervenire, cumprimis quæ significant, ire eos *ad Jesum Christum & cum Domino esse,* videntur quidem hoc planum facere, quod

recta

recta in cœlum via contendant, ubi eſt Chriſtus. Verùm Chriſtianorum primi ejusmodi locutiones longè aliter interpretati ſunt. Nempe exiſtimabant illi, Paradiſum & ſinum Abrahami eſſe quidem locum quietis & felicitatis, nequaquam tamen cœlum, in hoc enim neminem aſcenſurum eſſe niſi poſt reſurrectionem, id quod Ireneus & Tertullianus probant exemplo Chriſti, cui nos conformari oporteat. Hic enim poſt reſurrectionem demùm in cœlum aſcendit, durante mortis tempore corpus ejus in ſepulchro quieverat, anima fuit in ſtatu animarum à corpore ſegregatarum, poſtquam verò reſuſcitatus fuerat, in cœlum migravit. Idem ergo prorſus nobis eventurum eſſe dicunt. Cùm morimur, animæ noſtræ vivent in locis à Deo paratis animabus à corpore ſeparatis: reaſſumtis verô corporibus noſtris recipiemur in cœlum illud altiſſimum, in quod evectus fuerat Chriſtus. Et ſanè videtur ipſam hoc exigere æquitatẽ, ne ſcilicet in cœlum recipiamur ad fruendum ibi im̃ediata Dei præſentia (id quod perfectæ cum Deo reconciliationis ſignum eſt) priusquam reaſſumſimus corpora noſtra, quorum privatio indicium eſt defectionis noſtræ & iræ divini Numinis. Nunc autem omnia

indignationis divinæ indicia ſublata eſſe par eſt, antequam coram Deo compareamus. Verùm nonne Jeſus Chriſtus nunc eſt in cœlo? Qui igitur fideles poſſunt *eſſe cum Domino*, præſentes ei adeſſe, ſi non continuo poſt mortem in cœlum aſſumuntur? Ad hæc priſci Patres reſpondent, animas juſtorum in Paradiſo frui viſione vel ὀπ]ασία Servatoris noſtri, & hoc eſſe illud, quod intelligi oporteat per phraſin *eſſe cum Domino*. Iidem tamen non affirmant, neminem omnino juſtorum continuò poſt mortem in cœlum recipi, quin potiùs conceptis verbis docent, Martyres omnes, omneſque eos, qui propter nomen & Religionem JEſu Chriſti mortem oppetunt, ſtatim in illud migrare. Et hoc ipſum effecit, ut primis Chriſtianismi ſeculis tanto ardore Martyrium ambirent. Si Patres hoc tam dilucidè probaſſent, quàm firmiter crediderunt, Martyres ſcilicet, nequaquam verò reliquos fideles continuò poſt mortem in cœlum pervenire, quis non tanquam Martyr mori exoptaret? protuli hucusque ingenuè ſuper hoc argumento, quæ mihi videbantur maximè ſolida, neque arbitror quenquam eorum, qui non oſcitanter hæc examinabunt, iis offenſum iri.

Nunc porro demonstrabo primùm, quàm utilis sit hæc doctrina hoc cùm primis tempore: deinde, quòd illa neque studio virtutis nocere, neque ullum vitiorum prætextum suppeditare queat. Quod ad primum attinet, consideremus, quòd ejusmodi seculo quale hoc nostrum est, quo tot dantur Athei & increduli homines, in eam curam sedulo incumbere deceat, ut constet, Religionem esse intelligibilem neque secum pugnantem. Quodsi enim hoc facere negligimus, cavillationi exponitur, & profani homines in incredulitate sua magis magisque obdurescunt. Proinde cavendum, ne absurda vel contradictiones in medium proferamus. Nunc autem dicere, homines jam judicatos condemnatos vel absolutos, detrusos in infernum vel evectos in cœlum denuò solenniter judicatum iri, rursus in infernum amandatum vel secunda vice in cœlum receptum iri, hoc vero est quod Atheis & incredulis hominibus mirum videtur, atque insolens, adeoque cùm Scriptura disertè hoc dogma non tradat, libertatem utiq; habemus illud non docendi, cùm primis quando rem explicare possumus alio modo, cui melius convenit cum Scriptura & sana ratione. Doctrina nostra porro

valde idonea eſt ad impugnandum Papiſmum. Proponit enim ſtatum intermedium absque purgatorio. Defenſores Papiſmi homines ſimplices & indoctos valde circumvenerunt probando Patres vetuſtos credidiſſe ſtatum intermedium, qui neque cœlum ſit neque infernus, unde mox collegerunt hunc ſtatum nihil aliud eſſe quàm purgatorium. Certum quidem eſt, veteres Chriſtianos credidiſſe ſtatum intermedium à morte usque ad judicium, ſtatum qui neque cœlum nec infernus ſit, ſed ſomnium de purgatorio nunquā ipſis in mentem venerat. Credebant impios eſſe quidem in ſtatu pœnæ poſt exceſſum animæ è corpore, nequaquam tamen in inferno: fideles eſſe in ſtatu quietis & felicitatis, nequaquam tamen in cœlo. Verùm nunquam crediderunt dari locum tormentorum peccatis expiandis deſtinatum, poſtquam pœnæ æternæ eſſent condonatæ, cujusmodi eſt purgatorium pontificium, quod Religioni Chriſtianæ ingentis atrocitatis notam inurit, utut cætera verum ſit magnam opum vim ex barbaro hoc ſpectaculo Eccleſiæ Romanæ accreſcere. Ulterius doctrina noſtra ſubruit cultum ſanctorum Eccleſiæ Romanæ ſolennem, certè cultum illorum ſanctorum, qui martyrio coronati

ronati

ronati non fuêre. Cultus enim iste hoc nititur fundamẽto, quod sancti post obitum suũ perveniant in cœlum ad immediatam Dei præsentiam, ibique efficaciter pro nobis intercedant. Jam verò si sancti nondum sint in cœlo, neque eò venturi sunt nisi post resurrectionem suam, quæ fuit sententia Ecclesiæ primorum seculorum, eaque, ut videtur, congruens cum doctrinâ Evangelij, prout demonstravi; concidit cultus & intercessio sanctorum. Neque tandem hæc nostra doctrina virtutis studio nocet, vel ullum vitiorum prætextum præbet. Nolim equidem negare, cœlum esse locum Paradiso beatiorem, justisque haud dubie gratius futurum, si post mortem suam recta via in cœlum contendere possent. Interea tamen prærogativæ paradisi efficax satis incitamentum sunt ad præstantissimarum virtutum studium, neque exigua felicitas reputari debet, continuò post mortem portari in sinum Abrahæ vel paradisum quippe locum tranquillitatis & felicitatis tantæ, quanta extra cœlum obtingere potest, in paradisum, inquam ubi cõmorantur animæ sanctissimæ Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, aliorumque fidelium & cujus gaudiis succedent denique gaudia cœli & remu-

remuneratio longè præclarissima fidelitatis, omniumque hujus vitæ laborum atque molestiarum. Quòd non statim felicitate cœlesti fruamur, hoc non magis à studio virtutis nos avertere debet, quàm quòd nonnisi die judicii resuscitabimur & ad ultimæ tubæ sonitum recuperabimus corpora nostra gloriosa, fulgentia instar solis, quorumque adeò venustas, vigor viresque in æternum duratura sunt. Ultima hæc felicitas dubio procul haud paùlo major est, quàm vivere sive in Paradiso sive in cœlo absque corpore. Interea tamen illam cum gaudio exspectare possumus, in Paradiso, inquam, cum gaudio exspectare possumus fœlicitatem cœlestem & bono animo esse præstolando tam illam, quàm resurrectionem corporum nostrorum. Cum tantum felicitatis jam nacti sumus, quantum Paradisus impertiri potest, quidni patienter exspectemus felicitatis nostræ apicem & complementum, resurrectionem videlicet corporum nostrorum, & assumtionem in cœlum altissimum, ubi fruemur immediata Dei præsentiâ. Similiter infernus est locus pœnarum & maximarum miseriarum, est enim ignis paratus diabolo & angelis ejus. Hincque terribilius dubio procul est

pec-

peccatoribus in ipso mortis articulo in infernum detrudi, quàm aliud pœnæ genus perferre à morte usque ad judicium. Attamen insanientis est, non perpendere diem judicij sat citò venturum ad impios in infernum transmittendos, & ingentem satis calamitatem esse, interea in malorum Spirituum manus incidere. Si Deus existimat hanc pœnam tantisper sufficientem esse, quidni peccatores pariter hoc persuasum habeant? profectò illi qui non expavescunt infernum ob retardationem diei judicii, nequidem expavescerent illum tum cùm non multo remotior esset morte. Qui non reformidat illos post mortem cruciatus, quos sensit dives epulo, non magis reformidabit infernum, etiamsi agnoscat, calamitatis longe majoris locum esse. Dives epulo tormenta, quæ patiebatur, censuit idonea esse incitandis ad veram resipiscentiam fratribus suis, si illis perspecta fuissent, sique cognovissent penitùs, quid perpeti oporteat malos ob peccata sua continuò post mortem. Illos igitur qui negant, malos statim post mortem in infernum transmitti, nihilominus fateri oportet, quôd cruciari queant non minùs severè quàm dives epulo. Paucis: Si mali non conjiciuntur in infernum tempore mortis, illuc detruden-

tur die judicij, interea tamen perferent omnes illas miſerias incognitas, quas ceu pœnam animabus malorum Deus impoſuit usque ad magnum illum judicij diem. Quos ejusmodi calamitas non commovet, illi in peccatis ſuis vivent & morientur, tametſi convincerentur, malos in ipſo mortis articulo in infernum præcipitari.

F I N I S.